BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
B
43
NAPOLI

XLIII
B
43

GASPARIS SCIOPPI, FRANCI,

DE ARTE

Criticâ; & præcipue, de alterâ ejus parte emendatrice,

Quænam ratio in Latinis ſcriptoribus ex ingenio emendandis obſervari debeat;

COMMENTARIOLUS.

In quo nonnulla novè emendantur, àlia priùs emendata confirmantur.

AD

CHRISTOPHOR. PFLUGIUM in Euteren, Eq. Miſnum.

Quæ præterea acceſſerint, ſequens docebit pagina.



AMSTELODAMI,
Apud JUDOCUM PLUYMER Bibliopolam, ſub ſigno Senecæ, M. DC. LXII.

NAPOLI

ACCESSERUNT.

I.

Ejuſdem Epiſtola De Compendioſa linguæ Latinæ exactiùs cognoſcendæ ratione.

II.

Franciſci Robortelli, De arte ſive ratione corrigendi antiquorum libros Diſputatio.

CHRISTOPHORO PFLUGIO, SUO,

S. D.

GASBAR SCIOPPIUS, FR.

PErfunctus ſum tandem (DIs gratia) labore multò moleſtiſſimo, quemque incertò etiam ſcio, quo condigno potiſſimùm nomine appellare debeam. Nihil enim in illo aliud à me præſtitum fateor, quàm, quòd compluſculas, eaſque ſæpe nimiumquantum portentoſas, lectiones Plauti & Symmachi, (alios enim ſcriptores parce attigi, ne libellus in immenſum excreſceret,) magnam partem ex optimis & antiquiſſimis manuſcriptis collectas, ordine, meo ipſius judicio, non laborioſo, digeſſi. Aliis aliter videri poteſt; bono tamen meo periculo Augiæ ſtabulum vocaveris. Quid ergó? inquient mihi veteres illi Juris (an Formularum?) candidati. Hæccine erant præclara illa notæque optimæ manuſcripta? hæcce illæ commendatiſſimæ bonitatis membranæ, tantopere tibi

in Veriſimilium & ſuſpectarum lectionum libris prædicatæ? Hi erunt procul dubio, niſi me fallit opinio, moroſophorum noſtrorum ſermones. Quos tamen eo contemnam faciliùs, quo minùs novi ad aures meas accident. Eſt profectò, mi Pflugi, quod ex me ſæpicule audiviſti, non eſſe illorum, quos dixi, atque adeò nec plurimorum, qui hæc ſtudia multos jam annos tractarunt, de libris ſcriptis veteribus judicare, & ætatem eorum ac fidem æſtimare poſſe. Et verò memini etiam, virum quemdam clariſſimum, & Criticum non minorum gentium, mirifice ſibi in eo placere, quòd gloriabatur, ſe, ſi quemquam alium, ætatem & bonitatem membranaceorum codicum conjicere atque diſcernere didiciſſe. Ego ſane, quid in eo genere valeam, viris doctioribus, & judicio majore præditis, ex Veriſimilibus meis, & nuper prioribus quinque Suſpectarum lectionum libris, exiſtimandum relinquo. Niſi quòd illud audacter adfirmare habeo, quibus ego adhuc Bonâ Fortunâ propitiâ uſus fui libris, ejus eſſe

notæ,

notæ, ut bonitate ceteris in Germaniâ, quantum eſt, facillime antiſtent. De Symmacho manuſcripto, qui nunc Ingelſtadii vinctus adſervatur literis Langobardicis exaratus, nemo, qui Veriſimilia noſtra viderit, dubitare poſſit; eſſe nimirum longe illum vetuſtiſſimum. At illum tamen ætate & bonitate Fuldanus codex, partim Romano & veteri, partim Langobardico charactere ſcriptus, per omnia ſuperat; hoc uno inferior, quòd non eſt integer. Tertius ille, qui eſt cœnobii Bertiniani in opido Sancti Audomari, utroque melior; quòd & integer eſt, & in libris poſterioribus quaſdam necdum editas epiſtolas repræſentat: cetera non paullo deterior. De Plautinis codicibus, quos magnus ille amicus noſter Joachimus Camerarius cum aliis non ægre communicare ſolet, non neceſſe habeo plura adverſum te commemorare; qui & ipſe variantes eorum lectiones inſpexeris; & alii etiam ex Suſpectarum lectionum libris ſpecimen videre poſſunt. Quis enim ſperare debuit, poſt Camerarium, Lambinum,

Turnebum, Gulielmium, & ipſum adeò coryphæum noſtrum Juſtum Lipſium, qui tam infinita loca, veteribus libris adjuti, in illo ſcriptore reſtituerunt, tam amplum mihi aliiſque ſpicilegium relictum? At nec tibi tamen, nec cuivis alii, nec mihi porrò, etiam bene de illo merendi materia, illâ meâ diligentiâ, prærepta eſt. In illis itaque libris, ſine dubio longe vetuſtiſſimis & optimis, tanta monſtra latere, ut fere mendarum hoſpitia appellari queant, illi lucumones noſtri non poſſunt non mirari. Sed, quòd de optimis quibuſque libris veriſſimum hoc ſit, eoſdem eſſe mendoſiſſimos, aliàs hoc ipſo libro virorum clarorum verbis demonſtrabo. Nec enim tu mihi, PFLUGI Nobiliſſime, qui gravioribus nunc curis adficeris, & de inſtanti profectione tuâ cogitas, longis logis occupandus videris. Illud tamen mihi etiamdum præmonendus es, ne, quòd libellum hunc ſub tuo nomine apparere juſſi, id eo à me conſilio factum exiſtimes, ut aliquod amiciciæ noſtræ & conjuctionis arctiſſimæ monumentum

in

in publico exſtaret. Immò, quum videam, amorem in me tuum, qui tantus eſt, ut vix ulla ad eum acceſſio fieri poſſe videatur, longe aliquid majus deſiderare; illud potius ſpectavi, ut hoc novo quaſi flagitatore pertinaciam tuam expugnarem, teque ad emendationes tuas, quas Plauto, Quinctiliano, Nonio, aliiſque bonis auctoribus jamdiu debes, edendas incitarem. Scio quidem, & ſciunt juxtà mecum alii, quanta ſit tua in ſummâ eruditione modeſtia; quódque diffidis, virorum magnorum judicio cogitata tua juvenilia probare. Sed hoc tamdem nobis dare voles, ut credas, & nos aliquid de præclarâ tuâ indole judicare poſſe. Age tamdem, cum dIs bene volentibus, in publicum procede, & oſtende, habere quoque noſtram Germaniam, ne ſuper literatis Equitibus terræ Galliæ quicquam invideat. Simul etiam ſtudiorum noſtrorum contemptores contunde, qui, quòd linguæ Latinæ paullo exactiori cognitione carent, eo ſe doctiores & meliores haberi volunt. Crede mihi, decenter

eorum faſtum potes infringere, quum nihil quicquam tibi deſit, quod illos commendare poteſt. Sunt familiâ antiquâ & nobili producti? habes, quam ipſis præter ſplendidiſſimum genus tuum opponas, variarum ſcientiam literarum, &, quod utroque potentius eſt, virtutem & modeſtiam ſingularem. Sunt nonnulli philoſophica edocti; at te nos miramur, in hac floreſcente juventute tuâ, & ipſum Philoſophorum deum, ejuſque præcipuos interpretes veteres, legiſſe diligenter, & plane intellegere. Nam, ſi, te in rebus Politicis judicio prorſus virili præditum eſſe, dicam; quod ego, conſciis omnibus viris eruditis, qui te familiariter uſi, veriſſime prædicare poſſim; alii tamen moroſi, aliorumque juventutem non niſi ex ſuâ æſtimantes, forſan me accuſaturi eſſent, ea in te prædicantem, quæ in nullo homine adoleſcente ullo in tempore reperiri queant. Illa certe omnia, mi PFLUGI, ut libere tamdem eloquar, non minùs, quàm plurium linguarum cognitionem, Scioppius tuus tibi invidet; quod tu tamen, ſat ſcio,

minùs

minùs miraberis. Didiciſti enim, quàm mihi ægre accidat, à quoquam, qui unà ætate ſiet, ullâ in re ſuperari. Quod ut forte in me reprehendi poteſt, ita omnibus eo placeam neceſſe eſt, quòd non æmulo aliquo livore accenſus quicquam de exiſtimatione alterius detractum eo; ſed Dei dotes, etſi nonnumquam invideam, in nemine non adgnoſco & admiror; meque propter illas inferiorem diſcedere, non nimis doleo. Quare lubens meritò à te vincor, qui omni juventuti & Nobilitati Germanicæ, tamquam novum & memorabile virtutis & eruditionis ſpecimen, adfulſiſti. Operam tamen ſedulò addam, ne in te æmulando ſtudium meum à quoquam deſiderari poſſit. Etſi autem non dabitur, te æquare; ſi ſaltem proximus tibi ſim; pulchre me diſcedere, mecumque agi optime, exiſtimabo, maxime ex familiaris noſtri Plauti præcepto, quod exſtat Trinum. ſc. Minis quindecim.

Id optimum eſſe, tute uti ſis optimus.
Si id nequeas, ſaltem, ut optimis ſis proximus.

In quo conſilio meo deſino, teque Deo Opt. Max. votis meis commendo, ut te ſingulare patriæ noſtræ ornamentum quàm diutiſſime ſuperſtitem eſſe patiatur. Bene vale; & me totum tuum, quod facis, ama. Altodorffii, a. d. III Non. Maii, anno M. D. XCVII.

A D

AD EUMDEM,

SCIOPPII

MELOS.

PFLUGI, *Bohemis edite regibus;*
(Namque & priorès hinc Pflugios ferunt
Ortos Bohemis;) Qui tyrannus
Imperio moderatus æquo eſt,
Non fortuïto eſt culmina regia,
Paterna bobus rura dum arat ſuis,
Potitus, ut ſeræ ſtupendum
Sit ſoboli documentum honorum, &
Exemplum in ævum nobile poſterûm,
Quod ſola virtus tollere de gradu
Pollens ſit imo, ſeque ſpernat
Purpureis procul à tyrannis!
Quis te deorum, quis te age, (ſed tuâ
Narra fide,) pectuſque tuum, varIs
His dotibus mactat, acuto
Ingenium poliitque torno?
Fallor? vel ille, qui quoque fabulis
Quondam Accianis COMUS *adindidit*
Eum lepôrem, ut crederetur
Unius eloquio eſſe Plauti
Uſura, (verbis ſi modo Romulis
Muſæ luberet utier,) aridum
Primis tibi, cum naſcereris
Non ſine dIs aliis, diebus

Argutus

Argutus omen ſternuit: aut LatI
Muſa illa præſes, dum ſibi, dum ſuis
Myſtam ſacris dignum requirit,
Innumeros tibi poſtpoſivit.
Hinc, ſeu pedeſtri texere quid lubet
Sermone, magnum Tulliadam æmulus,
Minare verba; ſeu ſuävi
Harmonicum canis ore nectar;
Seu quum, deïs utcumque volentibus,
Quodcumque tentas; non ego, non tibi
Qui ſe, reor, certare demens
Poſtulet, ex facili inveniri.
Tu, quæ tenebris antè recondita
Fuêre furvis, eruere efficax:
Tu adfecta perſanas: tibi uni
Acciadæ loca mille Plauti
Parent; quot uſquam Mercurialium
Cohors virorum vel nimis ardua,
Vel antè conclamata cunctis,
Præteriit pede ſæpe ſicco.
Quâ comitate hoc conſequeris tuâ, ut,
Quod anteacto tempore contigit
Paucis, ament te ignoti adæquè,
Teque oculis animoque geſtent.
Te literati lumina ſæculi,
Te doctiorum natio, jam unicum
Fatetur eruditionis,
Nobilitatis &, invidendum
Spectamen adfulſiſſe. EGO, *ſedulo*
Qui, ut eruditis adnumerer viris,

Adnitor

Adnitor uſque, te tuaſque
Perpetuæ, mihi crede, laudes
Plerumque chartæ intexere cogito,
Libriſque, VERI *quos* SIMILES *voco,*
Quos ſcripſi ego in te nuper. ô tam
Vera forent reliqua! Ille libri
Mutandus index haudubiè; & mihi
Jam vera, quæ veri æmula dixeram,
Dicenda. Tu, quò VERA *ſint hæc,*
Interea, facies, locorum.
Te literarum rem, quoque ſcripſimus,
Olim eruditis eſſe libris, tuâ
Pro parte, juturum libenter;
Pollicitique tuos ibidem
Sumus labores omnibus. Hoc mihi,
UT VERA, *faxis, omnia ſcripſerim:*
Nec mî, cuiquam, erit verendum,
Me dubiæ fidei videri.

Sciop-

Scioppii Præfatio ad Lectorem.

SÆpiùs jam auditæ ſunt hominum doctiſſimorum querelæ de nonnullorum temeritate & plùs quàm juvenili audaciâ; qui nullis omnino libris veteribus adjuti, paſſim in omnes ſcriptores graſſati ſunt, eorum correctiones & in integrum reſtitutiones, admodum thraſonicè promiſerunt, potiúſque, quid auctor aliquis, horum judicio, ſcribere debuerit, quàm quid ſcripſerit, propoſuerunt. Quo factum tamdem, ut adeò ſæpe veteres Latinæ linguæ conditores interpolati & depravati fuerint, ut, ſi forte reviviſcerent, vix quædam operum ſuorum veſtigia in operibus ſuis adgnituri eſſent. His tamen, quos illud corrigendi vel interpolandi cacoëthes nullis manuſcriptis inſtructos tenet, utile futurum ſemper exiſtimavi, ſi ab iis, qui, optimorum manuſcriptorum uſu, & cum impreſſis comparatione, rationem emendandi paullo certiorem didicerunt, quomodo etiam in optimis quibuſque libris peccatum fuerit, oſtenderetur.

tur. Quorum repetitione hoc conſecuturum ſperavi, ut, quamvis illi ſcriptos libros nullos inſpexiſſent, his tamen exemplis admoniti viderent, quo quidque modo depravari potuerit. Quod ubi quis vidit, ibi demum omnis emendandi ratio in proclivi eſt. Quod quum jam diu ſenſiſſem, & de ipſo hoc ſenſu meo cum amicis meis viris doctiſſimis communicaſſem; omnes uno ore auctores mihi fuerunt, ut hanc in me provinciam ſuſciperem, & mendoſas lectiones ex Symmacho & Plauto meo, cum optimis membranis collato, in unum colligerem; &, quæ jam mihi ſoli uſui eſſent, cum pluribus porrò communicarem. Pervicerunt itaque, ut hoc non invitus in me reciperem. Jamque adeò, benevole lector, quæ moleſto magis, quàm erudito labore, congeſſi, tibi tamdem exhibeo. Plerique autem mirabuntur, me, hominem tam adoleſcentem, & necdum vigeſimum & primum ætatis annum ſupergreſſum, adde, nòn etiam toto quadriennio in hoc politioris literaturæ ſtudio verſatum, (quæ ſcribo in iis locis, in quibus multi mihi omnis antè actæ vitæ meæ

con-

conſcii ſunt,) tamquam hominem repentinum, prodire, alioſque artem omnium periculoſiſſimam & cum primis odioſam edocere velle. Utcumque tamdem ſit; omni hoc ratione confirmare poſſum, me non, aliquo gloriolæ ſtudio inductum, quam ex hoc labore nullam ſperare poſſum, (quippe qui obſervatas tantùm mendas collegi,) nec inani perſuaſione, quaſi ego præter ceteros ſim ille ſubtilis & ſagax mendarum inveſtigator, hanc commentatiunculam, ſive paucarum horarum moleſtiam, in me recepiſſe: ſed quòd vel maximè neceſſarium viderem ingenioſis illis & prurientibus Criticis, qui quo jure quâque injuriâ obvium quodvis immutant, quidvis pro quovis ſubſtituunt, nec albâ prorſus quicquam (ut cum Lucillio loquar) lineâ ſignant, ad eorum ſolennen inſaniam nonnihil medicandam, hanc, vel ſimilem, velut novam victûs rationem, præſcribere. Quam ſi totam averſentur; eorum emendationes, niſi libros auctores habeant, tamquam ægrotorum ſomnia, inſuper habeantur, ipſiſque adeò correcturâ penitus interdicatur. Hoc enim unicum

auda-

audacter adfirmare auſim, omnem, quæ ſit ab ingenio, emendationem, neceſſe eſſe, ut ad capita illa à me præſcripta referatur, & exemplo aliquo noſtro confirmetur. Porrò, in digerendis mendis, & ſuo quasque loco collocandis, benignum Lectorem exoratum cupiam, ut ignoſcat, & variis meis occupationibus condonet, ſi minùs ex arte nonnumquam dixiſſe videbor. Quod ſane & ipſe ſæpiùs à me factum adverto; dum, verbi gratiâ, multa ſæpiùs & diverſis locis repetii, multa commodiori ordine collocare debui. Sed ſi (quod vehementer metuo) exſtituri ſunt Marrucini quidam, non illi Aſinii, ſed aſini, nihil niſi Res, *niſi Actiones & Formulas, niſi Ariſtoteles & Platones, crepare ſoliti, quíque ne præ nimiâ tamdem ſcientiâ dirumpant turgidi, nonnullum periculum eſt, quique omnia ad libellam à me exigere volent; eos ego ſcire velim, me, quòd inde ab principio nullam omnino laudem ex hoc libello ſperarem, ſed aliorum calori (an audaciæ?) hoc qualicumque remedio conſultum irem, jure optimo feciſſe, ne viri eruditi aliquam*

non neceſſariam diligentiam in me, velut homine otio ſuo turpiter abuſo, poſſent reprehendere. Cujus quoque rei reſpectus tantum apud me potuit, ut fere non niſi ex Plauti & Symmachi chirographis mendarum exempla exhiberem. Si quidem illis ſolis ſatis doceri poteſt, miris ſæpe modis belliſſimorum librariorum negligentiam ſcriptoribus priſcis obfuiſſe. Quod quàm utile ſit & neceſſarium, ei qui locum aliquem corrigere meditatur, videre; non eſt ut pluribus verbis obtinere coner. Siquidem, ut ambages mittam, atque Hoc agam; Emendare *nihil eſt aliud, quàm quo quidque modo depravatum fuerit, indicare. Sed quid tamdem indicabit, qui nullam ſibi, ad hanc faciem, mendarũ obſervationem collegerit? Quare, ſi præter hoc ipſum nihil mea collectoris opera rei literariæ commodaret, ſatis me contra obtrectatorum malevolentiam munire & tueri poſſim. Atqui & illud heic obtinuero, ut virorum maximorum manibus minùs petulanter inſultare auſint lucumones iſti, qui, niſi quod fatuo ipſorum palato facit, nihil laudant, ſed præclaras hominum*

inge-

ingenioſiſſimorum, & prudenter tamen audentium, lectiones, nomine audacium & calidarum conjecturarum, ægroti ſomniorum, deliri acuminis, & neſcio quo, impudenter traducunt. Et verò, quis tamdem eſt audaculus, (ſic enim leniter iraſcens appellabo convitio longe graviori dignum,) quin (non dicam ſolùm de Mureto, Gulielmio, Lambino, & ſimilibus, ſed & de literarum omnium dictatore perpetuo, & per omnia dIs magis quàm hominibus comparando, Joſepho Scaligero) judicium ſibi arripiat, & Amorum Triumviros ab illo editos Augiæ ſtabulum appellare auſit? Credo, quòd te, hominem (ſi modò hominem, ac non belluam potiùs ſtupidiſſimam, & plane in vervecum patriâ natam) omnium bipedum ingratiſſimum, more ſuo ea ibi docuit, quæ omnes eruditos ex tanto magiſtro didiciſſe juvat. An verò tantis tibi convitiorum plauſtris Vir ille multo illuſtriſſimus inſectandus viſus eſt, quòd pro his adulterinis Catulli verbis, (Ibera, quam ſcit annis aurifer Tagus, Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ. *quum in veteri libro reperiſſet,* (Ibe-

ra, quâ ſe amnis aurifer Tagus Hunc Galliæ timet tellus & Britanniæ.) *ingenioſâ, & profectò non audaci conjecturâ ductus, reſtituit:*

Ibera: quas & amnis aurifer Tagus
Inundat, extim'ecce Luſitaniæ.

Præterquam enim quòd ſatis iſtic docet, & metri leges & hiſtoriæ ſeriem eamdem correctionem ſtabilire: quid novum tamdem videri debet, ſi putat, ſcriptum fuiſſe, Inunttat eſtimec celuſeitaniæ? *Unde poſteriùs factum:* hunc calia etimettellus ettaniæ. *Quàm multis, o dI, exemplis ſcripturas longe monſtroſiores demonſtrabo; & cuivis videre erit, nullam ferme eſſe ſcripturâ Langobardicâ inter t. c. & l. differentiam. Nihilo profectò incertior eſt loci illius depravatio, quam hujus Plautini Milite ſc. 1. ut quidem in utroque optimo & vetuſtiſſimo Camerarii codice conſpicitur:*

Epytyr aut apud illa enſiurienſa ne bene.

Ubi vulgo: Ni unum Epityrum edam apud illum eſuriens inſane bene. *Et Moſtellar. ſimiliter, in 2. codd.*

Nec quod eſt cauna meruerit magis.

Pro

Pro : Nec quando eſca una bene meruerit magis. *Et quod Epidico Langiani libri longe illi vetuſtiſſimi exhibent :*

DI immortales ſocio juſſi admiror.

Pro ; DI immortales ocius iſſe admiror. *Et Sticho, in 2. mſſ.*

Mala caſtra palarias.

Pro : malacas crapularias. *Certe, ſi non majora portenta, non minùs tamen ſtupenda alit Symmachi manuſcripti lectio, epiſt.* 1. *lib.* 1.

Fer ut ager ſone dejulare tergemini.

Pro : Eruta Geryonis de lare tergemini. *Aeque monſtroſa ejuſdem libri lectio :*

Tantumque abſumam & uſus cenſionis.

Pro ; tantumque abſum à metu ſuccenſionis. *Similiter :*

Faſtidior Ennius magis eratum.

Pro : faſtidio renuis magiſtratum. *Sed, ego ſtultus moruſque multùm habear, oportet, qui, in re tam expeditâ, & toto hoc libro evidentiſſime illuſtratâ, tricari perſevero. Unâ itaque operâ, & intento velut digito, ſemitam aliis ad tutiùs corrigendum demonſtro; & hominum doctorum emendationes ſartas tectas præſto, ne quid in eas liceat hominibus ſubidis, & denti*

livido. Sed debuit me, aliorum fortaſſe judicio, ab hoc conſilio deterrere, quòd & Franciſcus Robortellus, Italus, (ut aiunt; nec enim quicquam ejus vidi,) undequaque doctiſſimus & ingenioſiſſimus, librum olim de hac ipſâ corrigendi ratione edidit. Et Paullus quoque Merula, Leidanæ Academiæ Profeſſor celeberrimus, peculiarem eâdem de re libellum nunc nuper promiſit. Et, Robortellum quidem quod attinet, etſi librum illum, cujus mihi ſpes ex Italiâ facta, priùs impenſe videre deſideravi, voti tamen mei compos nondum etiam fieri potui. Exiſtimo tamen, viro illi longe aliud, quodcumque tamdem illud ſit, fuiſſe ibi propoſitum; quum nec Merulæ, cui haud dubie viſus, perſuadere potuerit, ut in iis, que ille præſcripſerat, vellet acquieſcere. Atque adeò, & ipſi Merulæ, viro probitatis & eruditionis inſigni, fere adducor ut itidem aliud, quàm mihi, conſilium eſſe credam. Is fortaſſis non circa hos apices minutos (quamvis heic neceſſariò attendendos) verſabitur, ſed docebit, opinor, quo inſtructum ingenio, quibus excultum literis

ris

ris eſſe oporteat, qui ſuum in Criticos nomen dare volet. Quod quidem ego, homo adoleſcens, & ſeveriorum ſtudiorum, non tam meâ quàm ætatis operâ, plane rudis, minime poſſim promittere. Quare, ſive id illi erit animi; ſine fraude, meo more & modo, quæ mihi viſum eſt, publicare poſſum: ſive idem quoque vel ſimile ipſi in mentem vænit; complebit ille, quod ego cœpi, & meliori omnia methodo pertractabit. Quod ut faciat, eum pro illâ, quæ eſt inter omnes politiorum Muſarum myſtas, neceſſitudine, vehementer etiam atque etiam rogatum volo. Interim, ne nihil ampliùs de Criticâ dicerem, &, quomodo id ſtudii habendum ſit, aliis exponerem, ſubjicere volui, quæ mihi de Criticis veteribus & novis, homini non admodum variæ lectionis, comperta ſunt. tum ex libris eorum, quæ cuivis Critico, adoleſcenti præſertim, uſui eſſe poſſint, nonnulla delibabo. Unum etiam, qui jam præfationem deſiturus eram, ſuperare video, de quo, Lector erudite, admonendus videris; confidere me, quòd, pro tuâ æquitate, fidem meam in laudatis libris manuſcriptis

non

non ſis ſuſpecturus. Poſſim enim teſtes laudare multos homines eruditos, Rittershuſium, Pflugium, Ignatium Hannielem, Matthiam Hubnerum Pomeranum, eruditionis incredibilis & modeſtiæ ſingularis juvenem, alioſque amicos, qui me cum fide omnia ex libris meis, ut erant cum manuſcriptis conlati, exſcripſiſſe viderunt. Certe de omnibus viris doctis & in ſcriptorum librorum lectione exercitatis mihi auſim polliceri, eos libenter mihi ſuper variantibus illis lectionibus fidem arbitraturos: quum nec mihi, nec aliis, in difficili ſit, perſentire, bonâ ne quis fide in repræſentandâ ſcripturâ veteri utatur, an verò commenticiâ lectione aliis imponere poſtulet. Sic itaque, tuo, Lector, erudito & benigno judicio ſecurior redditus, longos logos præcido: teque rogo, ut, quodcumque heic propoſui, non aliquam laudem mereri, ſed culpâ carere velle, aliorumque ſtudiis recte commodare, exiſtimes. Vale.

GASP.

GASP. SCIOPPII
DE CRITICIS
ET
PHILOLOGIS
Veteribus & Recentioribus.

FAteor non invitus, potuiſſe me hanc commentatiunculam compendifacere, & protinus ad ipſam Emendandi rationem progredi. Quia tamen in iis etiam locis vivo, in quibus nemo non de hoc ſtudio noſtro judicium ſibi ſumit: omneſque uno ore Criticos, tamquam homines verbales, & in minimis quibuſque apicibus & literarum ac ſyllabarum aucupiis occupatos, ſuo, ut bonorum Realium, (quod ſibi nomen homines illi ſapientiſſimi ipſi fecerunt,) communi ſuffragio procul hinc in ſolas terras amandandos & tantum non explodendos pronuntiant: quos tu tamen ſi roges forte, quid vocent Criticum, quod illud ſit hominum genus, unde domo; linguas Realibus illis, plane mutis, excidiſſe arbitrari poſſis: faciendum mihi putavi, ut, & quod illorum munus & officium jam olim fuerit, & quanti demum viri in eo munere, noſtrâ & majorum noſtrorum memoriâ, elaborandum ſibi exiſtimarint, quàm breviſſimè explicarem.

Criticorum itaque, ita ut nomen hodie poſſident, munus & officium unicum eſt, operam dare, ut, eorum operâ, meliùs ſit omnibus utriuſque linguæ, Græcæ dico & Latinę, ſcriptoribus. Id quod gemino modo effici poteſt: ut nimirum, quæ in illorum ſcriptis obſcura ſunt, explanentur: illa autem, quæ vel vetuſtate vel ſcævorum quorundam temeritate & audaciâ, depravata vel luxata ſunt, denuo reſtituantur & reſarciantur. Quod quantum humano generi ad ævum uſque noſtrum commodaverit, pluribus heic commemorare nolo; ſatis id faciet Muretus, vir undequaque doctiſſimus, cujus verba inferiùs videre erit. Priſcis temporibus fere Grammaticorum ea cura fuit. Quorum primus Romæ fuit, referente *Suetonio*, Crates Mallotes, Attali Regis ad Romanos legatus. Nec eſt itaque, quòd Formularii & Leguleii quidam ſui Juris originem tamquam Gorgonem aliquam, Grammaticis oſtendant & opponant. Nam, ut, Jus Romanum, cujus dignationem, in quâ eſt hodie, nemo ſanus facilè deminuere conabitur, non Grammaticis ſolùm, ſed omnibus omnino literis, antiſtare & præcellere, ita contendentibus adſentiar; numquam id tamen, hoc originis ſui oſtentu, obtinebunt: tanto minùs certe, quanto præſtat, à Legato Regio, quàm exule aliquo Græculo, vel ſcribâ Flavio, libertini filio, primitus introductum fuiſſe. Nec verò poſterioribus temporibus, non niſi à libertis, ſtudium illud Grammaticum excultum fuit; quin &, Equites Romanos in eamdem curam incubuiſſe, ſatis locuples teſtis eſſe Tranquillus poteſt; quamvis & omnem Philoſophiam bellicoſi illi Quirites ſervulis fere ſuis reliquerint excolendam: cujus tamen nomen, neſcio quàm juſte, Juſticiæ illi ſtudioſi arti ſuæ imponunt; nihil veriti, quòd Nobiles Romani Philoſophiam ſervis ſuis dignam exiſtimarint.

Eos,

Eos, qui poſtea Grammatici ſunt appellati, antiquitus Criticorum nomen tuliſſe, teſtatur etiam *Dio Chryſoſtomus*, *Oratione* LIII, *de Homero.* Ex quo & hoc diſcimus, Artem hanc, ſive Criticam, ſive Grammaticam, ipſum habere auctorem Ariſtotelem. Sic enim ſcribit Dio: Οἱ δὲ αὐτὸ τοῦτο τὴν διάνοιαν ἐξηγούμενοι, οὐ μόνον Ἀρίσταρχος, καὶ Κράτης, καὶ ἕτεροι πλείους τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ κριτικῶν. Καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Ἀριστοτέλης, ἀφ᾽ οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ, καὶ τιμῶν. Cujus loci indicium mihi fecit hoſpes & amicus Cunradus Rittershuſius. Nonnihil tamen diverſa vel priſcis temporibus Critici & Grammatici munera fuiſſe videntur. Et Grammaticorum quorumdam ſuperbiâ, in Grammaticis, Rhetoricis, & Criticis, ſimul aliis antiſtare cupientium, factum tamdem exiſtimo, ut Critica & ipſa pars Grammatices haberetur. Quod innuit *Suetonius*, extremo libello *de Illuſtribus Grammaticis.* Ubi hæc de Marco Valerio Probo: *Legerat in provinciâ quoſdam veteres libellos apud Grammatiſtam, durante adhuc ibi antiquorum memoriâ, nec dum omnino abolitâ, ſicut Romæ. Hos quum diligentiùs repetere atque alios deinceps cognoſcere cuperet; quamvis, ſe contemni, magiſque opprobrio legentibus, quàm gloriæ & fructui eſſe, animadverteret: nihilominùs in propoſito manſit; multaque exemplaria contracta emendare, ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic, nec ulli præterea Grammatices parti, deditus. Hic non tam diſcipulos, quàm ſectatores aliquos habuit. Numquam enim ita docuit, ut magiſtri perſonam ſuſtineret. Unum, vel alterum, vel, quum plurimos, tres aut quatuor, poſtmeridianis horis admittere ſolebat; cubanſque, inter longos ac vulgares ſermones, legere quædam; idque perrarò. Nimis pauca & exigua de quibuſdam minutis quæſtiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem ſylvam obſervatio-*

A 2 *num*

num ſermonis antiqui. Hæc Suetonius, purum putum Criticum antiquum cum ornamentis omnibus nobis deſcribens. Sed, quòd partem hanc Grammatices appellat, (quod idem eſt apud *Quinctilian. lib.* I. *cap.* 4.) id eo factum, ut dixi, quòd Grammatici inſolentiores, illis temporibus, hoc munus ſibi adrogarint. quàm non juſtè; verbis Julii Cæſaris Scaligeri inferiùs docuero. Nam Grammaticorum erat, præter notum eorum munus, & gloſſemata præcipere, (ut Aſinius Gallus ſcribit,) ſive gloſſas interpretari. Sunt autem gloſſæ verba ſecretioris vel minùs vulgatæ notionis. Sed Critici non verſus modò (ut Fabii verbis utar) cenſoriâ quâdam virgulâ notabant, & libros, qui falſò viderentur inſcripti, tamquam ſubditicios, ſubmovere familiâ permittebant ſibi; auctores alios in ordinem redigebant, alios omnino numero eximebant: ſed variæ notæ ſcriptores veteres explanabant, & ex melioribus codicibus errata, quæ vulgò inrepſerant, corrigebant. Adeoque Probus, qui Grammaticus audire recuſabat, illa omnia præſtitit, quamvis ſcripta ipſius interciderint. Quòd id ipſum in Virgilio præſtiterit, teſtatur *Servius*, (non ille editus, ſed qui in ſchedis Fuldanis,) ad illos verſus I. Æneid.

Hinc populum latè regem, belloque ſuperbum,
Venturum excidio Libyæ: ſic volvere Parcas.

Ad illos itaque verſus ſic ſcripſerat Servius: *Scilicet à Romanis. Laudat autem eorum imperium, dicendo, populum Regem, & latè regem, pro, latè regnaturum. nomen pro participio. Quidam, hoc, democratias intellegunt. Et* (verſus,) *Hinc populum*, &c. *in Probi* (exemplari, vel editione) *adpuncti ſint.* (ſic; H. p. l. r. b. q. ſ. v. e. L. ſ. v. p.) *& adnotandum;* (fortaſſis, *adnotatum;*) *Hi duo ſi eximantur, nihilominùs ſenſus integer erit. Sed Virgilius amat, aliud agens, exire in laudes*

populi

populi Romani. Hactenus ille. Unde videre licet, ſolitos fuiſſe Criticos veteres, Scriptorum opera, à ſe recenſita & illuſtrata, publicare, verſus culparum vel locorum laudabilium nomine annotare; ut docet Scaliger ad Varronem. Talis in Homeri editione fuit Ariſtarchus; de quo nemo paullo humanior ignorare poteſt. Et alludit *Cicero, epiſt. famil. lib.* 9. *ep.* 10. *Nihil enim Romæ geritur, quod te putem ſcire curare: niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum & Vidium judicem eſſe. Profert alter, ut opinor, duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter, Ariſtarchus, hos* ὀβελίζει. *Ego, tamquam Criticus antiquus, judicaturus ſum, utrùm ſint* τοῦ ποιητοῦ, *an* παρεμβεβλημένοι. De eodem Criticorum munere & *Horatius, epiſt.* 1. *lib.* 2.

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Talis fuit Lucius Craſſicius; quem ſcribit Suetonius, edito Smyrnæ commentario, ſummam nominis claritudinem indeptum. Talis quoque Q. Cæcilius Epirota; qui primus Virgilium, & alios poëtas novos, prælegere cœpit. Tales complures alii; quorum ſcripta vetuſtas nobis invidit. Eamdem ob rem Philologos dictos fuiſſe conſtat. Sic enim *de Atteio Philologo* ſcribit *Suetonius: Philologi appellationem adſumpſiſſe videtur: quia, ſicut Eratoſthenes, qui primus hoc cognomen ſibi vindicavit, multiplici variâque doctrinâ cenſebatur. Quod ſanè ex commentariis ejus apparet.* In tantâ autem dignatione erant antiquitus, ut & Marcus Cicero, referente Tranquillo, M. Antonii Gniphonis ſcholam, etiam quum præturâ fungeretur, frequentaverit. Certe Marci Terentii Varronis, viri humanarum rerum doctiſſimi, præcipuum fuit ſtudium Criticum; ut amicus ipſius M. Tullius teſtatur. Quem quanti omnis fecerit antiquitas, nemini ignotum eſſe poteſt, qui 1. *Academ quæſtion.*

Ciceronis, qui Fabium, qui Lactantium & B. Auguſtinum legerit. Quo nemo umquam doctior, (ut Lactantii ore loquar,) ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, vixit. Caium quoque Cæſarem tot variis in locis bella pugnata minime abſterrere potuerunt, quin, libris de Analogia relictis, quantus harum literarum amator fuerit, teſtatum relinqueret. Nam de Nigidio Figulo, Q. Aſconio Pædiano, Maronis familiari, de ipſo denique Agellio, cujus ſolius hujus notæ ſcripta ad nos pervenerunt, non neceſſe habeo, quanti illi viri in omni honeſtâ diſciplinâ fuerint, repetere: quum & de Nigidio in Noctibus Atticis relatum ſit, & horum quoque ſcripta (an fragmenta?) etiamdum exſtent. De aliis, qui poſt Agellii tempora in hoc ſtudio operati fuerint, nondum mihi quicquam reſciſcere licuit. Avorum denique noſtrorum memoriâ, quum literæ renaſci inciperent, ſuperiorum ſæculorum barbarie tantùm non exſtinctæ; & ipſa Critica, ſcriptorum veterum (ut Domitius Marſus vocat) nutricula, caput paullatim exſeruit, crevitque adeo, dum in hanc fere perfectionem, in qua nunc eſt, excrevit. Primus autem Angelus Politianus varios ſcriptores emendare cœpit, edito præclaro Miſcellaneorum opere. Cui ſuppar Philippus Beroaldus, vir doctus & acutus; quod commentariis in Apuleium, Propertium, alios, ſatis oſtendit. Sed parùm tamen viri illi, quamvis præſtantiſſimi, ad penitus abolendam barbariem, valuerunt, donec Germani tamdem aliquot ſuccrevere, quorum auſpicio & ductu plurimi veterum libri à mendis, quibus obſeſſi fuerant, prorſus liberati ſunt. Nec quisquam, opinor, hanc genti noſtræ laudem ereptum ibit. Notum enim divinum Eraſmi Roterodami ingenium: nota incredibilis illius viri & multiplex eruditio, cum pari induſtriâ & dexteritate conjun-

cta: nota quoque Joach. Camerarii innumera in rem literariam bene promerita. Quemque nequiquam ingrati lucumones rodere conentur. Vivet viri illius, & ætatem florebit, admirabile ingenium & pietas ſingularis. Nec quiſquam erit, qui hoc publicum ipſius elogium, OPTIMUM & DOCTISSIMUM SÆCULI SUI FUISSE, umquam queat eripere. Semper erit Lipſius, vel Douza aliquis, vel Caſaubonus, vel Gruterus, qui Camerarii nomen ab invidorum injuriis tutum præſtitare volet, qui eum, juratus ex animi ſententiâ, Germanorum ætatis ſuæ ingenioſiſſimum, & Linguæ utriuſque Principem, totius denique Europæ noſtræ decus & ornamentum, (id quod Turnebus fecit,) fatebitur. Eamdem fere laudem debent exteri Beato Rhenano, & Joanni Rivio; qui, ſi vel hodie viverent, ubi poſt eos hæ literæ mirificè excultæ ſunt, principibus Criticis accenſeri poſſint. Et bene habet, quod eos, qui juveniliter olim Rhenani beatis manibus inſultarant, præcipitatæ dicacitatis publice pœnituit. Camerarii maximi veſtigiis non ſolùm Georgius Fabricius fideliter inſtitit, ſed multi quoque alii, per Galliam & Belgicam, immo & Italiam, viri celeberrimi. Et divus quidem Judius Cæſar Scaliger, veterum Criticorum more, de præcipuis Græciæ & Italiæ poëtis judicium & ſenſum ſuum, in Critico & Hypercritico ſuo, reliquit. Nec multo poſt M. Antonins Muretus varios auctores, ſuo judicio elegantiſſimo recognitos, & commentariis vel notis illuſtratos, nobiſcum communicavit. Petrus Nannius Belga, Joannes Brodæus Gallus, & Hieronymus Magius JC., Hieron. Mercurialis, Philoſ. & Med., Itali, Miſcellanea edidere. Paullus Leopardus Emendationum libros emiſit. Adrianus Turnebus, quo doctiorem (ſi Joſ. Scaligero

credimus) noſtra non vidit ætas, triginta Adverſariorum libros; Petrus Victorius quadraginta Variarum lectionum; Anton. Auguſtinus, Tarraconenſis Epiſcopus, Emendationum libros & Varronis ac Feſti novas editiones dedit. Jacobus Cujacius, quanta mendarum millia ex Juris civilis libris & promiſcue variis auctoribus exoneraverit, oratione meâ haudquaquam exponere queam. Barnabæ Briſſonii Formularum libri, aliique commentarii, novum aliquem Varronem ævo noſtro redonarunt. Franciſcum Hotomanum, majorem Juriſconſultum, an Criticum elegantiorem, dicam, neſcio. Videat mihi quis Obſervationes illius, in Ciceronis orationes & Cæſaris monumenta Commentarios: ſtylum ejus conſideret; redivivum in Galliâ Servium Sulpicium, vel etiam Ciceronem, veriſſime dixerit. Gulielmii Canteri Novæ lectiones exſtant; Syntagma exſtat corrigendi ſcriptores Græcos; quod magno heic mihi fuit uſui. Exſtant ejuſdem variæ Græcorum ſcriptorum, præcipue Tragicorum, editiones: cujus frater, nobiliſſimus Theodorus, & Variarum lectionum & Arnobii editione ſingularem eruditionem ſuam jam ſatis comprobavit: & longe porro majora rei literariæ momenta, an monumenta, debet, laudique ſuæ jam ſuccreſcentem habet filium. Hadriano Junio Nonius vitam debet, & omnes ſtudioſi, plurimùm ob editum Nomenclatorem & Adverſariorum Adagiorumque libros. Jacobo Ræwardo, Brugenſi Juriſc., Variorum libri mirum quantam nominis celebritatem conciliaverint. Nec reticenda ſunt bene merita vel Franciſci NansI, vel Gerardi FalckenburgI: quorum hic in editione Nonni Dionyſiacon præclaram operam navavit; ille ſacrum ejuſdem opus, Paraphraſin dico Euangelii Joannis, in ſplendorem dedit; ut alia ejuſdem taceam. Nec obſcura ſunt Victoris Giſelini

prx-

præclare de Prudentio & Sulpicio Severo merita. Dionyſium Lambinum multa præclara ſcripta, ut Cicero, Horatius, Lucretius, Nepos, aliique caſtigati ab illo & uberrimis commentariis illuſtrati, in famæ perennitatem adſeruerunt: at collegam ejus, Joannem Auratum, virorum doctorum, qui ab eo quæ ſcriberent acceperunt, elogia minime obſcurum eſſe patiuntur. Aldus, Paullus, & Aldus Nepos, Manutii, innumeris ſcriptoribus à ſe reſtitutis & editis omnem rem literariam ingentibus ſibi beneficiis obſtrinxerunt. Nec temere Paullo Manutio Ciceronis, Aldo, filio, hiſtoriæ & antiquitatis ſtudioſi, pro Commentariis Ciceronianis & Quæſitis per epiſtolam, quas meriti ſunt, gratias referre poterunt. Ludovici Carrionis eruditionem, quam in Antiquis lectionibus, Emendationum libris, Salluſtianis notis, aliiſque monumentis, inſignem declaravit, vellem, proquam par erat, ſatis laudare poſſem. Nec de Petro & Franciſco Pithoeis, quæ me animus in literarum patronos & velut theſaurarios propenſiſſimus dicere jubet, explicare queo: clamant ipſa Petri Pithoei Adverſaria, ac veterum Juriſconſultorum fragmenta cum Lege divinâ collata; item Novellæ aliquot Imperatorum: loquuntur & virorum doctiſſimorum ſcripta, quæ ſæpe ſe illâ nobiliſſimorum fratrum bigâ, quà libris deſcriptis, quà conſilio cato, adjuta, profitentur. Sed nec tamen illi ſoli fuerunt Galliæ Juriſconſulti, qui mitiores Muſas alerent, ſeque earum commercio multo honeſtiores fieri poſſe exiſtimarent. Nam de Inluſtri viro, Petro Fabro, Senatûs Tholoſani Præſide, ut nulla umquam ætas tacitura ſit, tribus Semeſtrium libris & uno ejus Agoniſtico, perfectum eſt: in quibus infinita, quæ omnes Critici diſcere & admirari poſſint, propoſuit. Quod feliciſſime quoque conatus eſt in editione Senecæ, & emen-

dationibus Nonii, Nicolaus Faber, vir Nobiliſſimus, Regius in ſupremâ Pariſienſi Curia Senator. Jam de illis literarum Triumviris, qui anno 1565 Criticos libros ſcribere cœperunt, & hodieque vivunt, mihi in mentem venit. Si tamen Joſephum Scaligerum, divi Julii Cæſaris (ut eum Muretus recte appellabat) Filium, ulli mortalium componi par eſt; cujus ſcripta aurea, tamquam ancylia cælo delapſa, cum horrore & religione quâdam omnes eruditi tractare ſolent: ſive illa Temporum rationes nove, ſed incredibili arte & dexteritate, componunt; ſive Catalecta Virgilii & veterum poëtarum; ſive Catullum, Tibullum & Propertium; ſive Manilii Aſtronomica; ſive Varronis opera; ſive Feſti de verborum ſignificatione libros; ſive Auſonii denique poëmata; omnia antè corruptiſſima, & nemini homini nato intellecta; admirabili & prorſus divino judicio & ingenio adeo reſtituit & illuſtrat, ut nunc vel pueris legi illa intelligique poſſint. Atque hunc, & generis ſplendore ac vetuſtate omnibus omnino Regibus & Principibus ſuperiorem, & omnium divinarum & humanarum rerum ſcientiâ cum nullo omnino homine comparandum, quum nominari audiunt, quicumque hujus ſtudii Critici vituperationem gloriam ſuam exiſtimant; non eos perverſitatis in judicando ſuæ pœnitet? non illi nomen Scaligerum, quod & in Criticis familiam ducit, protinus reformidant? O tempora, o mores! Sed, ſi numero Criticorum cum illis decertare oportet, Hubertum Giſanium jam nunc ſubjungo; qui eodem tempore, quo Scaliger & Lipſius primùm ſe nobis in publico oſtenderunt, Lucretium edidit cum Indice, quem vocat, ſive Conlectaneis veterum elegantiarum: de quibus vetus illud pronunciare poſſum, melius eſſe tacere quàm pauca dicere. Non poſſum

tamen,

tamen, quin mei ſimilis ſim; hoc eſt, quin, inſuper habitis, quæ inter me & virum illum magnum natæ, & notæ jam pene in vulgus ſunt, ſimultatibus, ingenue profitear; me illo libro primùm ad hoc ſtudii genus perductum, &, quicquid in literis hiſce video, quantulum illud cumque eſt, illi potiſſimùm Indici acceptum ferre, ac proinde, velut teſtem minime ſuſpectum, juventũti lectionem ejus diligentiùs commendare poſſe. Et Raphelengio gratia, qui non ita dudum eum nobis recudit; quamvis velim, & in has oras compluria exemplaria curaret. Eâdem tempeſtate & Lucas Fruterius, Brugenſis, in ore famæ fuit. Cujus tamen Veriſimilium reliquiæ, quæ recuperari potuerunt, anno demum 85, beneficio Jani Douzæ, Domini à Noortwijk, lucem publicam adſpexerunt, ceteris, neſcio quâ aut quorum hominum malignitate, ſuppreſſis. Juſtum vero Lipſium, quum ſimiliter circa annum 65 primum induſtriæ & acuminis ſui ſpecimen in quatuor Variarum lectionum libris edidiſſet, exinde temporis complures libri, novo ſcribendi genere, & ſtylo, inuſitato quidem, ſed perſpicuo, perfecti, ita famæ inſignem reddidere, ut, quod haud ſcio cuiquamne mortalium in vitâ ſuâ obtigerit, omnium invidiam adeo ſuperarit, ut omnes omnium ordinum homines, ipſique adeo pueri, vixdum nare docti, ne quid heic de omnibus bonis & eruditis dicam, de Lipſiano nomine inaudierint, illudque, non minùs quàm doctiſſimi quique, colere & admirari ſoleant. Quo faciliùs de viri illius laudibus dicere ſuperſedeo. Illius de Conſtantia liber quàm diu vivet? Caroli Langii fides & integritas ſemper memorabitur; qui, edito ſuo in Officia Ciceronis Commentario longe doctiſſimo, grandes ab omni poſteritate gratias inivit. Ut interim omittam, quas trium manuſcc. Plauti variantes

antes lectiones nobiſcum communicavit, longe illas optimas, quibuſque multi Criticorum famam ſuam clariorem acceptam ferre debent. Theodorus Pulmannus, Craneburgius, quamvis ipſe, quod ſciam, nihil novi ediderit; pleriſque tamen omnibus ſcriptoribus Latinis, ſuâ curâ caſtigatis & recognitis, nomen ſibi numquam non celebre futurum comparavit. Quod item exiſtimant viri docti de Caroli Sigonii, Itali, Livianâ editione, aliiſque operibus ad Romanæ Antiquitatis & hiſtoriæ lucem facientibus. Valerium Maximum, ſciolorum ſtylis pæne confectum atque exanimatum, Stephanus Pighius in ſanitatem, imo vitam, princeps reſtituit. Simeonis Boſii, Prætoris Lemovicenſis, acumen numquam Lambinus, ita ut ſibi & rei veritati ſatis faceret, laudare potuit; ne ego me ſperem potiùs; qui hoc tantùm adfirmo, eum ſolo commentario in epiſtolas Ciceronis ad Atticum, quid in his Criticis valeret, evidenter oſtendiſſe. Atque oſtendiſſet haud dubie pluribus, niſi nefario latrocinio morte non ſuâ præmature periſſet. Paralipomena in Virgilium, à Germano, Valente Guellio, Pimpontio, in Curiâ Pariſienſi Senatore Regio, conſcripta, & tantopere à viris doctis laudata, fecerunt, ut non ſemel Genio patriæ meæ iraſceret, qui nos talium librorum expertes vivere cupit. Gulielmii Fornerii operum Criticorum nihil vidi, præter notas in Caſſiodorum: ſed, fuiſſe illum & acutum & ſtudii hujus cumprimis amantem, facile fidem mihi faciunt, qui eum nobis talem in libris ſuis deſcripſerunt. Franciſcus Juretus, quamvis & ipſe Juriſconſultus, minime tamen à profeſſione ſuâ alienum duxit, & in hac palæſtrâ Criticâ deſudare, quantumque in eâ valeret, Symmachus ab illo editus & notis illuſtratus neminem jam paullo doctiorem ignorare patitur. Veriſimile eſt, eum, virum utique acutiſſimum, vel majoris feciſſe. Symmachi epiſtolas,

quàm

quàm repentinus quidam ſolet; vel homines hujuſmodi male feriatos ſæpe quid dicant ignorare, &, dum congerronibus ſuis, famæ juveneſcentis meæ obtrectatoribus, ex arbitrio illorum loquantur, nihil penſi habere. Sed, quantus fuerit ſcriptor Symmachus, quantoque hominibus pragmaticis ſive politicis uſui futurus, in editione noſtrâ ſatis rebus neceſſariis evincemus. Sed hoc Gallis penitus perſuaſum eſſe apparet, non poſſe quem magnum aliquem Juriſconſultum fieri, niſi Philologicis hiſce ſtudiis probe inſtructum. Quod ſuo exemplo teſtatus Joannes Paſſeratius, Profeſſor Regius; (nuper, ut dolentes ex ejus de Cæcitate Oratione cognovimus, viſu orbatus;) Jacobus Bongarſius editis in Juſtinum notis; Jacobus Durantius Caſcelius variarum lectionum libris elegantiſſimis; Petrus Daniel, illud omnis antiquitatis promptuarium, multis argumentis: cujus Servium manuſcriptum, uberrimum rerum bonarûm penu, jam diu eſt, quòd nobis Gallicani typographi debent: Jacobus quoque Lectius, egregium ingenii & induſtriæ ſuæ ſpectamen, etiam tum juvenis, exhibuit, novâ Symmachi editione poſt Juretum adornatâ. Quorum omnium exemplum alii poſtea Juriſconſulti imitati ſunt. Godeſcalci Stewechii, hominis optimi & doctiſſimi, in manibus habemus Commentaria in Vegetium. Quæſtiones in Apuleïum, de Particulis linguæ Latinæ, librum pulcherrimum. Petri Colvii, Brugenſis, Apuleïo fruimur; in quo ſatis docuit, quantum aliquando, ſi vita juveni ſuppeditaſſet, rei literariæ prodeſſe poſſet. Ejus popularis, Franciſcus Modius, Livio, Frontino, Juſtino, Silio Italico, Gratio, Nemeſiano, Calpurnio, aliiſq; ſcriptoribus recognitis, & Novantiquarum lectionum libris pulcherrimis, hoc conſecutus eſt denique, ut, ſi vivit jam, ſive vixit, ejus tamen gloria numquam interitura ſit. M. Antonio

Del-

Del-rio, Juriſconſulto, pro adverſariis in Senecam, pro notis in Claudianum, in Senecam, Solinum, alios denique, quum multum antè deberemus, nunc nuper Latinæ Tragœdiæ nomine plurimum debere cœpimus. De nobiliſſ. Jano Grutero, Antverpiano, etſi ille omnibus bonis & doctis, qui jam in ore famæ ſunt, amicis utitur, quantum ſibi bonas literas ſcriptis ſuis, edito præſertim poſt Pincianum & alios Senecâ, & novem Suſpicionum libris, devinxerit, nemini non conſtare poteſt. Non poſſum tamen non dolere, & queri mecum, quod, typographi cunctatione, ſupprimuntur Notæ ad integrum Suetonium politicæ, Notæ in Tragicum Senecam, maxime vero triginta novi Suſpicionum libri; quibus ex manuſcc. fere libris Plautus, Apuleius, Martialis, Prudentius, Ovidius, Seneca, certo emendantur; ex conjecturâ vero, Symmachus, Quinctiliani declamationes, Panegyrici; Propertius, Tibullus, Plinii epiſtolæ, aliique claſſici; aut corriguntur, aut vindicantur contra Douzam, Scaligerum, Lipſium, Urſinum, Caſaubonum, Colvium, Ciofanum, Petr. Fabrum, Gothofredum, alioſque promiſcue, idque tantùm non demonſtrative. Scilicet eo jam pervenimus, ut, ſi diu noctes atque dies præſtante & egregio labore de bono publico ſategeris, vix tamdem typographum aliquem reperire queas, non ſi vel ſupplicium illi dederis. Quod & Cunradi mei Rittershuſii fatum. Cujus Oppianus, etſi ab illo commentariis uberioribus explanatus, ex libris ſcriptis recenſitus, eleganti quoque Latinâ verſione interpretatus, poſt diuturnam neſcio cujus plagiarii ſuppreſſionem, Raphelengii comitate nuper prodiit. Nova tamen Phædri, Guntheri, Alani Anticlaudiani, & Sereni, recenſio, & commentaria in eoſdem optima, ut & Epiſtolicæ in Auſonium exercitationes, & in

novam Symmachi editionem Prodromus, jam pleraque omnia aliquot abhinc annis abſoluta, (nunc enim Anteceſſorem ipſis ſex annis gerit,) etiamnum prelum deſiderant. Marquardus Freherus quoque, patricius Auguſtanus, & primarius in primariâ Germaniæ Academiâ Anteceſſor, plurima nobis incredibilis eruditionis & ingenii ſubtiliſſimi monumenta debet. Quod non minùs de Scipione Gentili dicere auſim. Qui, poſt edita à ſe Parerga, (quo indice, & Freherus, librum à ſe proſcripſere,) nullum ingenii ſui multo elegantiſſimi argumentum exhibuit. Lævinus Torrentius, Antverpiæ Epiſcopus, publice fatetur, ſe, propter Juris civilis ſcientiam, animum ſuum ad Philologica hæc primùm adjeciſſe: in quibus quid præſtiterit, me tacente vociferatur Suetonius, ab ipſo editus, & commentariis illuſtratus. Quo ipſo conſilio & Jacobus Scheckius, Jacobi illius magni nepos, Præmeſſas ſuas & emendationes in Velleïum dedit. Similiter Paullus Merula, Juriſconſultus & Hiſtoricus doctiſſimus, poſt editam à ſe Praxin Juris, Ennii Annalium membra, à Grammaticis, velut Penthei olim à Bacchis, divulſa & fœdiſſime admutilata, rurſum componere, & Ennium quodammodo mortis poſtliminio animare auſus eſt. Quid quod & præſtantiſſimi quique Theologi, quaſi de induſtriâ, Criticorum nomen poſſidere ſe poſtulant? Certe Franciſcus Junius, Biturix, non temere hac ætate cum præſtantiſſimis ſive Theologis ſive Philologis contendendus videtur. Id quod ego (poſteriùs certe) in Manilio & Tertulliano, quorum illum notis, hunc etiam commentariis, (doctis, Jupiter! & laborioſis,) adjutum ivit, feliciſſime ab illo aſſecutum video. Quod in Tertulliano, & ejus diſcipulo Cypriano, ante ipſum, Jacobus Pamelius, Brugenſis; in aliis pluribus Eccleſiaſticis ſcriptoribus,

in

in Salluſtio & Plinianâ hiſtoriâ, pluribuſque claſſicis, Petrus Ciacconius, Toletanus, non infeliciter adfectaverat. Sed & Andreas Schottus, & Janus Druſius, exemplo ſuo & libris Criticis, quàm non negligenda ſint Theologo Philologica, præclare docuerunt. Multi alii, etſi nulli certæ profeſſioni ſeſe applicuiſſent, more tamen & modo apicularum, nunc hinc, nunc illinc, quæ ſibi & aliis plurimis uſui eſſe poſſent, delibarunt. Quorum nunc meritò primum laudem Iſaacum Caſaubonum, hominem Gallum; qui quum in Philoſophicis ac Theologicis fere ſine pari excellere à doctiſſimis exiſtimetur, ipſe interim, quamvis modeſtisſimus, re & opere, omnium qui vivunt gloriam obſcuraturus vel omnino exſtincturus videtur. Quid in Strabone, Theocrito, Diogene Laërtio, Ariſtotele, Theophraſti characteribus, Apuleïi apologiâ, & Suetonio, præſtiterit, jam decantatum eſt. Quid autem porro de ejuſdem Athenæo, Polybio, Artemidoro, iiſque quos de Venatione Amphitheatrali & Ludis Circenſibus promittit Commentariis, ſperare debeamus, quantum ea lucis optimo cuique ſcriptorum veterum allatura, quantam ignorantiæ caliginem aliis depulſura ſint, an cuiquam obſcurum eſſe poteſt? Jacobus Cruquius, editis Horatianis Commentariis, & ipſis nos omnes literarum ſtudioſos ſibi fecit obnoxios. Jani Melleri Palmerii Spicilegiorum liber, ſi nihil aliud, hoc certe præſtitit, ut Germania non neceſſe habeat aliis nationibus de ingenii vel acuminis laude quicquam concedere. Dignus fuit ille juvenis longiore vitâ, ut cum tempore de nimio illo calore nonnihil remiſiſſet, & paullo verecundiùs in corrigendo fuiſſet. Cujus, velut Oreſtis Pylades, Janus Gulielmius, Lubecenſis, quum nondum annos 27 natus in Galliâ obiiſſet, hoc elogium omnium doctorum &
Bono-

bonorum ſecum abſtulit, Nullum hoc præclarius & elegantius ingenium noſtro ævo extitiſſe. Sed de illorum juvenum laudibus aliàs diximus; quamvis Gulielmius nullius laude indigeat, & omnibus Veriſimilium & Plautinarum quæſtionum ſuarum lectoribus ex facili ſe, probitatem ſuam, & ſtylum ſuaviſſimum, queat probare. Horatius, Catullus, Tibullus, & Petronius, operam Jani Douzæ Domini à Noortwijk egregiam experti ſunt. In illos enim luculenta Præcidanea & Succidanea, quæ vocat, ſcripſit: Plautum quoque peculiari commentariolo, quem Centurionatum inſcribit, multis locis emendavit & illuſtriorem fecit. Patrem æmulatus Janus Douza filius, anno ætatis ſuæ, ſi ſatis ſincere memini, decimo ſexto, novam eamque pulcherrimam Plauti editionem dedit: illos Amorum Triumviros; Catullum, inquam, Tibullum & Propertium; recenſuit, ſuiſque Animadverſionibus doctiſſimis explanavit: &, quod omnes, me tamen tacente, intellegunt, nimiò plura ejus in rem literarum bene promerita futura fuerant, niſi Deus nuper optimum illum & ſummæ ſpei juvenem, heu! præmature nimis & patri nobiliſſimo & nobis omnibus eripuiſſet. Obitum ejus cùm publicâ cauſſâ lugeo, quod magnam in eo literæ noſtræ jacturam fecerunt; tum meâ propriâ, quod illo nunc privatus ſum, qui, quum amorem in me ſuum, quamvis inviſum, non obſcuris argumentis teſtatus eſſet, longe me arctius in locis illis, ad quæ nunc adſpiro, diligere coràm & complecti potuit, mutuum à me amorem experturus. Friderico Sylburgio, Veterano, quanti auctores, quà Græci quà Latini, quà ſacri quà ſeculares, vitam ſanitatemque debent! De cujus viri incredibili & indefeſſâ diligentiâ induſtriâque ſatis ex merito dici non poteſt. Vivet ille, quamvis Heidelbergæ ſuperiore

anno mortuus; vivet perpetuo, in ſuo Ariſtotele, in Dionyſio Halicarnaſſeo, in Voluminibus Hiſtoricis, in Clemente Alexandrino, in Juſtino Martyre, in Theodoreto, in aliis. Joſiam Mercerum, virum ingenioſiſſimum, & Græce ac Latine doctiſſimum, pæne prætermiseram, quod ipſus, modeſtiâ credo & verecundiâ inſtinctus, nomen ſuis libris præſcribere adhuc noluit. Edidit autem Nonium cum annotationibus virorum doctiſſimorum, anno 38 Lutetiæ excuſum; & nuper adeo Ariſtæneti epiſtolas recenſuit, elegantiſſime & inimitabili ſuavitate Latine convertit, notis quoque perquam eruditis magis illuſtravit. Bonaventuræ Vulcanii Græcarum literarum in Leidanâ Academiâ Profeſſoris, nobile ingenium numquam feriari aut quieſcere oportuit; qui, ſimul editione Callimachi, Bionis & Moſchi, Iſidori, Martiani Capellæ, Agathiæ, & Apuleii denique, incredibilem omnium de ſe exſpectationem concitavit & accendit. Triga illa fratrum Friſiorum, Auſonii, Cypriani, & Titi à Popma, non niſi laudandam operam in epiſtolis Ciceronis, Salluſtii, Catonis, Varronis, & Aſconii Pædiani reliquiis, poſuiſſe exiſtimanda eſt. Valentem Acidalium, Marchicum Medicum, Curtius & Velleius Paterculus commodùm ſibi ſuppetias fatentur advæniſſe: faſſurus idem Plautus, faſſurus erat Agellius, niſi juveni illi fata quietem miſerabiliter properaſſent. De Joanne à Wouweren, Hamburgenſi, quantum mihi pollicear, non temere prædicanti mihi quiſquam accredat. Omnium fere conatus, aliquid in his Criticis audentium, una Petronii editio, ab illo prodita, abſterrere poſſit. Deus modo juvenem hunc diutiſſime ſuperſtitare velit. Sed ecce, vix iſta ſic ſcripſeram, ſic voveram pio adfectu, qunm ad nos variis ex locis adfertur, hunc quoque Aureliæ, ubi in omnium

amori-

amoribus erat, extinctum fuiſſe; & Petrum Pithœum, Val. Acidalium, ac Janum Douzam, mox ſecutum; uſque adeò, Summis, ſtare diu, negatum eſſe! In Italiâ hodie fere defecit diva illa Critice. Sed ſuſtinent eam etiamnum Hieronymus Columna, Nobilis Romanus; cujus Ennius & magno illi Scaligero placere potuit. Herculem Ciofanum, Sulmonenſem, Ovidianum Commentatorem, virum ſane doctum & bonum, nondum vixiſſe puto; uti nec Aldum Manutium, de quo jam antè; nec Fulvium Urſinum Romanum, multis libris Criticis; maxime notis in Ciceronem, Virgiliumque totum, & Ant. Auguſtinum, aliiſque propriis ſcriptis editis, clariſſimum. Robertum Titium & ipſum Criticis adnumerem, niſi ipſe hoſtem illorum publicum profeſſus eſſet. Germaniæ idem fere hac in re, quod Italiæ, fatum eſt; ſicut & duæ iſtæ nationes primos nobis, poſt renatas literas, ut ſuperiùs dictum, Criticos protulerunt. Nam & pauci capiuntur his Muſis; &, qui capiuntur, per negotiorum compedes iis ſupereſſe nequeunt. Quod & adverſus me Nobiliſſimus & Ampliſſimus reip. Auguſtanæ Conſul Marcus Velſerus queſtus eſt. A quo quum tantis beneficiis adfectus ſim, quanta numquam ſperare debui, ab ingenio & eruditione ejus multiplici, maxime Antiquitatum & Hiſtoriarum ſtudio, in præſens prædicando, me abſtinebo; ne beneficia ſumma verbis compoſitis compenſare velle videar. David Hœſchelius, Auguſtanus, amicus & hoſpes meus jam unus fere, abiturientes ex Germaniâ Græcas literas reprehendit, dum cottidie novantiquum aliquod κειμήλιον ex bibliothecâ, tam ſuâ quàm patriæ inclytæ, ad uſus publicos largiter depromit. Vilnæ in Lituaniâ etiamnum vivit Solomo Pantherus, ſive Riſynski, Ruſſus natione, Illuſtriſſ. Principis Chriſtophori Radivili filio à Studiis, homo

mire ingenioſus: qui olim admodum adoleſcens, quum heic Altdorfii ageret, epiſtolis Amœbæis de locis quibuſdam Auſonianis cum Rittershuſio meo diſputare ſolitus: quæ niſi, cujuſdam cunctationibus ſolitis, ſuppreſſæ fuiſſent, mirum profectò, in homine barbaro, & plane politum ingenium, videre licuiſſet. Atque ita habes, erudite Lector, quæ mihi de officio & munere Critico, atque etiam pleriſque omnibus qui illud geſſerunt, cùm priſcis tum recentioribus, comperta ſunt. Quodſi quædam minùs commode recenſui; mihi ſat erit, quòd & meum gratum animum in omnes illos; qui aliquam literis noſtris juvandis operam ſumpſerunt, hoc modo declaravi; & hoc ipſo, illuſtrium & nobiliſſimorum virorum oſtentu, convitia aliorum, ſtudii hujus tenuitatem more ſuo crepantium, repuli & defendi. In quo niſi tibi ingratus fuiſſe videor, Lector benigne; age nunc, tamdem ipſam Emendandi rationem conſidera, unico ſchematiſmo definitam, ubi priùs doctorum quædam generalia in hanc rem præcepta præmiſero.

Docto-

Doctorum quorumdam de CRITICIS TESTIMONIA,

Et præcepta nonnulla, in hoc ſtudio, deditis, obſervatu digna.

Paullus Merula in præfat. ad Lectorem Ennii ſui.

INgenia, quæ huic ordini feliciſſima, & ad nihil non præſtandum apta, majoribus ſunt dicanda: quæ & cum fructu & voluptate legentium poſſent tractare. Vix enim eſt, ut Critici in aliis etiam non excellant. Sunt ſummi ſæpe Juriſconſulti, ſunt præſtantiſſimi plurimùm Hiſtorici, ſunt inſignes aliquando Philoſophi, ab Theologiæ ſecretis minime abhorrent, Medicorum præcepta nequaquam ab iis ignorantur. Pervolitant & pervolutant omnia, &c.

Lucas Fruterius Veriſimil. lib. 1. *cap.* 2.

Credo equidem, multorum fuiſſe curam, ut, quantum bonis auctoribus ſuo ſtudio prodeſſe poſſent, tantum & illis benigne tribuerent; quum alii loquaces Commentarios ederent, alii verbum aliquod rarius explicarent; alii denique tropos & ſchemata perſequerentur: quibus ego nec infelicius quicquam, nec magis Grammaticum duco. Credo equidem, quæ dixi, omnia ſummo ſtudio à ſuperioribus factitata. Sed etiam illud credo, eiſdem à noſtris

hominibus, qui acutius quiddam & ſublimius ſapiunt, parum omnino referri gratiæ non debere. Alius vero eſt hodie doctiorum labor, alia induſtria. Illi enim, conquiſitis paſſim ſcriptis codicibus, auctoribus bonis eam dignitatem reddunt, quam ſuis aliquando temporibus habuerunt; aut, ſi id fallit, ingenio ſuo, ad eam rem prudenter tractandam, utendum judicant.

Et capite tertio.

Quantum noceat magnis ingeniis Grammaticorum non accurata & diligens lectio, priùs quàm ad graviora diſcedunt, nuper adeo intellexiſſe videor. &c.

Et cap. XVIII.

Quantum Grammaticorum & Rhetorum auctoritati dandum ſit, in iis præſertim, quæ apud Feſtum ſunt obſcuriſſima, nemo eſt modo aliquâ humanitate imbutus, qui non videat. Ego quidem eâ ſemper opinione fui, ut Grammaticis & Rhetoribus in hoc negotio primas tribuerem; idque non alienâ ratione; quum & illi meliora habuerint exemplaria, & diligentiùs excuſſerint omnia; tum denique quod nihil omnino citarent, quod non ad rationes ſuas & regulas, quas vocant, peroportunum eſſet.

Et lib. 2. *cap.* 10.

Semper autem Grammaticis in hac parte credendum eſt, qui & doctiores ſunt, & attenti magis, quàm rude illud librariorum, ſed audax, genus. Quare conſulerem illi, qui veteres auctores, Salluſtium, Plautum, Apuleîum, priſtinæ dignitati ſuæ reſtituere conatur, idque ope atque ex fide codicum manuſcriptorum; priùs quidem in Grammati-

maticorum lectione diligentem eſſe, eoſque omnes locos, quos adducunt, exſcribere: & ſic demum illos cum ſcriptis libris contendere.

Cap. ſeq.

Hoc ego emendationis genus eſſe præſentisſimum judico, & optimum, quod ex ipſo auctore auctoritatem accipit & vigorem.

Cap. ſeq.

Librariorum audax & inſcita induſtria multos nobis auctores mutilavit atque corrupit: quum plerique verſuum ignari, omniſque adeo Antiquitatis rudes, audebant tamen quidvis invertere & immutare: hac ratione, ni fallor, inducti, quod nil putarent à poſteris intellectum iri, quod non idem & ipſis in promptu & notitiâ exſtitiſſet.

Lib. 2. cap. 1.

Nam ubi id conſilii in auctore aliquo veteri tenes, ut omnes illius elegantias, & dicendi floſculos, caute obſerves, dici vix poteſt, quantum auxilii, ad loca aliquot corrupta & difficilia, pararis tibi.

Lib. 1. cap. 10.

Magnam illi ſequuntur laudem, & adſequuntur facillime apud humaniores, qui optimis auctoribus auctoritatem priſtinam & nitorem conciliant, ac, cur eos majori cum fructu & asſiduitate legamus, efficiunt. Illi vero hanc ſibi famam cumulant, qui, licet illud, quod ex libris ſcriptis eſt erutum, omni ex parte non adſequuntur, tamen eâ fide nobiſcum agunt, quâ codices manuſcripti cum illis, &c.

Janus Gulielmius, Plautinar. quæſt. pag. 20.

Magna laus, Errice Memmi, loca optimorum Scriptorum male adfecta perſanare; ſed profectò non minor, eoſdem, ubi obſcuriores ſunt, illuſtrare. Utrumque quidem boni Critici munus eſt. Nunc illud certatim omnes ſatagunt; hoc pauciſſimi perſequuntur, ita quidem ut par erat. Nec iſti pro ſe dictum putent, qui clariſſimis locis commentariorum molem circumfundunt, hoc eſt, ut ego exiſtimo, mero meridie cum face in foro obambulant.

Et pag. 117.

Ego verò ſic cenſeo, in editione auctorum ſummâ religione cavendum, ne ſupponatur antiquæ & receptæ lectioni commenticia & noſtra: in hujus generis miſcellis, ludum ingeniis dari aliquo modo poſſe hactenus, ſi is ludus ſeria ducat, & doceat, quòd ſcire, quàm neſcire, potius ſit.

Pag. 235.

Perſonarum collocatio quantas ſæpe tenebras libris bonis invexerit, multi oſtenderunt; in iis nos etiam, ut confidimus, non ſemel. Neque mirum. In illis ſæpe peccatum; quas opidò paucæ membranæ præferunt. Et à Grammaticis ſuperioris ætatis fere ita, ut nunc religioſe retinemus, factæ & ordinatæ ſunt.

Pag. 299.

Eſt enim profectò ita, ut ſentio; In hoc bonos auctores emendandi ſive ſtudio, ſive artificio quodam, quum multum poſſit laborioſa diligentia, plus aliquanto expolita ingenii elegantia, plurimum ſollertis

ſollertis judicii acumen; tum non minimum, ut in ceteris rebus humanis, ipſam valere fortunam. Nam ita pleræque corruptelæ, tamquam peſtes quædam, in intima optimorum librorum viſcera penetrarunt, atque iis ſe partibus, quæ integræ ſuperſunt, agglutinarunt; ut internoſci à ſanis, aut evelli ex pulcherrimis corporibus, nullâ vi poſſint: quamvis omni huc animi contentione vel perſpicaciſſimus quiſque incumbat. At ſimul in membranas incideris notæ & fidei antiquæ, diluceſcunt plerumque eæ tenebræ, & produnt ſe, diſperſæ pasſim, & ſuffuſæ venuſtisſimis coloribus maculæ: quas nullis veſtigiis per te, abſque illis monſtratoribus eſſet, perſequi & indagare, immo verò ne ſuſpicione quidem odorari potuiſſes. Ita ſine chirographis vetuſtis, iiſdemque bonis, cujuſmodi in magnâ membranarum copiâ permagna raritas, correctio ſæpe irrita eſt & inanis; nonnumquam etiam temeraria & periculoſa. Libros autem, cujuſmodi volumus & optamus, apiſci, in fortunæ manu, non noſtrâ poteſtate eſt. Quibus tamen ipſis nemo ex uſu ſuo publicoque utetur ſine iis auxiliis, quæ initio poſui. Nam & adſiduitate multâ opus eſt, in pellegendo & comparando; & peracri ingenio, in perveſtigandis ipſius ſcriptoris quà verbis, quà ſententiis; & limato ſubactoque judicio, in dilectu eorum, quæ varia pasſim & inter ſeſe disſidentia occurrunt.

Pag. 308.

Certisſima corrigendi ratio eſt Latinitatis accurata notatio, hactenus, ſi ſuſpicio noſtra non abducatur à veſtigiis corruptæ ſcripturæ. Nam, ut quodlibet pro quolibet ſubſtituamus, opinor inſanis tantùm probari poſſe, cordato homini nemini. In quo tamen, mirum eſt, quàm ſibi indulgeant

multi; quos aliud agere mallem, quàm in hac ſegete infamiam ſuam metere. Meæ ſuſpiciones ſi non veræ aut probabiles pleræque, at certe neque à conſuetudine Latine loquentium adhorrent, neque longe aberrant ab ipſis literis receptæ lectionis.

Idem Veriſimil. lib. 3. cap. 16.

Aſſentior doctisſimis viris, multa ſcripſiſſe M. Tullium more majorum; hoc eſt, vetuſte, & minimę ad captum noſtræ ætatis literatorum. Quorum in libris nec vola nec veſtigium, quod dicitur, cùm avorum negligentiâ, tum bonam partem audaciâ correctorum.

M. Ant. Muretus, Præfat. in Varias lection.

Quum in pręſtantisſimis utriuſque linguæ ſcriptoribus multa, vel temporum vel hominum culpâ, corrupte & depravate legantur: eaque res vel non animadverſa errorem, vel animadverſa moleſtiam & difficultatem legentibus objicere ſoleat: ejus incommodi ut pars aliqua per me tolleretur, operam dedi.

Idem Variar. lection. lib. 2. cap. 26.

Soleo libenter veteres libros, quicumque in manus meas incidunt, evolvere: cuicuimodi tamdem illi ſint, & quocumque literarum charactere exarati. Quod enim Plinius de toto librorum genere dicere ſolebat, nullum eſſe tam malum, ex quo non caperetur aliquid fructûs: id ego in his maxime verum eſſe comperio. Multos enim nanciſcor mutilos, laceros, corruptos, evaneſcentibus literis; tum, quod moleſtius eſt, deſcriptos ab hominibus imperitiſſimis, ideoque ἕλκεσι βρύοντας; ut in eis legendis incredibilis quædam moleſtia exhaurienda

ſit.

ſit. Sed non in multos incido, qui omni ex parte fruſtrentur opinionem meam. Fere enim ſemper aliquid tamen lucelli facio. Sive autem hæc conſtantia vocanda eſt, ſive etiam quidam mentis error; (non enim, quominus, quo quiſque volet, nomine appellet, impedio;) ita obſtinato animo ſum, nulla ut ſit tanta erratorum multitudo, quæ me à legendo abſterreat. Neque mihi male operam collocaſſe videor, quum ex illis difficultatibus, tamquam è ſalebris quibuſdam, emerſus, in recenſione reperio, unum aut alterum boni alicujus ſcriptoris locum bidui triduive labore purgatum eſſe.

Et lib. 7. cap. 12.

Non eos modo, qui corruptos præſtantium ſcriptorum locos emendant, præclare operam ſuam ponere, arbitror: verùm illos quoque, qui, quum aliud nihil poſſunt, eos indicant. Proponunt enim hominibus ingenioſis, & copiosâ veterum codicum ſupellectile inſtructis, materiam, in quâ ſe exerceant: eoſque excitant ad aliquid excogitandum.

Libro 8. *cap.* 4.

Quotidie magis intelligo, verum eſſe id quod ſemper exiſtimavi: nullam eſſe mendam ita puſillam, quam non permagni interſit, è veterum monimentis tolli, ac corrigi: neque ullum hominum genus magis prodeſſe ſtudiis, quàm eos qui accurate & fideliter operam in illis purgandis emendandiſque ponunt. Unius enim literulæ erratum interdum eas etiam eruditiſſimis hominibus offundit tenebras, ut, tamquam in illuni nocte errantes, quovis potiùs perveniant, quàm quo volunt.

Lib. 9. *cap.* 11.

Incredibile dictu eſt, quàm puſilla menda quantas

tas tenebras interdum etiam eruditiſſimis hominibus objiciant: ut, quod multa interdum ſecula ſummos viros latuit, id poſtea indicatum vel pueri primis literis imbuti aſſequi debuiſſe videantur.

Lib. 13. *cap.* 18.

Theſaurum quemdam malorum Plautinæ fabulæ continent: ita, quo plura in eis hulcera coëunt ac conſaneſcunt, eo plura erumpunt ac deteguntur. Itaque non eſt verendum, ne iſtis, qui ex veterum ſcriptorum emendatione ingenii gloriam aucupantur, quid agant, deſit. Ut omnes omnia conferant, unus eis Plautus ſatis ſuperque negotii uſque & uſque exhibebit.

Lib. 14. *cap.* 1.

Vereor interdum, ne ſint, quibus hoc totum ſcriptionis genus leve ac contemnendum eſſe videatur, quod ad maculas è veterum libris eluendas refertur. Ut enim vera ſint, quæ ſcribimus: fere tamen, ſimul atque quis unam aut alteram literam vocemve in libro ſuo aut mutaverit, aut deleverit, aut addiderit, ita ſingula horum librorum capita concerpat licet, ut quorum vix uſus præterea ullus eſſe alius poſſit. Sed tamen, ſi quis ſecum reputet, primùm, quanta utilitas ex veterum ſcriptorum lectione capiatur, deinde, quantam difficultatem depravata ſcriptura illorum ſtudioſis exhibere ſoleat: magnam gratiam habendam eſſe judicabit iis, qui ſuo labore laborem aliis minuunt, &, in quibus ipſi fortaſſis aliquando hæſitarunt, in eis, ne alii quoque heſitent, elaborant.

Libro 15. *cap.* 9.

Solebant homines imperiti, qui avorum aut proavorum

avorum noſtrorum temporibus victum ſibi deſcribendis libris quæritabant, quæ perperam ſcripſerant, non delere: ne libros ſuos multis lituris deformatos minùs vendibiles redderent, iterumve totas paginas deſcribere cogerentur: ſed iis, ut erant, omiſſis, cetera perſequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam in omne ſcriptorum genus invexit.

Eod. lib. cap. 16.

Ad medicinam meliùs & certiùs factitandam non mediocriter utile eſt, ſcire, quibus in rebus is, qui ægrotat, peccare ſolitus ſit: quo & cauſſa morbi faciliùs reperiatur, & ad eam medendi ratio adcommodetur. Sic & iis, qui ſe ſcriptorum veterum quaſi medicos quoſdam eſſe profitentur, noſſe expedit, quibus potiſſimùm modis veteres librarii peccare ſoliti ſint, ut latentia hulcera, quæ in optimis quibuſque ſcriptoribus inveterarunt, ſagaciùs deprehendant. Inter cetera igitur ſane multa genera depravationum, animadverti, ſolitos eos, ſi quando vetuſtioris libri, ex quo aliquid deſcribebant, ſcripturam ſatis certò ac liquidò perſpicere non poterant, dubitabantque, hoc an illo modo ſcriptum foret, aut ſi quando aliud in aliis exemplaribus ſcriptum reperiebant, utrumque ponere, & lectorum judicio permittere, utrum verius videretur. Eo modo vix credibile eſt, quàm multa in optimis & nobilisſimis quibuſque ſcriptoribus maculata ſint.

Divus Julius Cæſar Scaliger, de cauſſ. linguæ Latinæ lib. I. *cap.* I.

Poſtremo, quod officium interpretandorum auctorum annumerarunt, id ſane Grammatici non

eſt, ſed ſapientis, pro cujuſque rei captu. Eſt enim Oratorum, Poëtarumque, atque Hiſtoricorum lectio differta variis artibus atque ſcientiis. Non ad ipſos literatores potiùs, quàm ad veros artifices pertinent, &c. NB. *Comparanda hæc cum Merulæ verbis ſuperiùs poſitis.*

Juſtus Lipſius, Præfatione Operum Criticorum.

Nam, quod quidam facile hoc & pronum cuivis putant, vereor ut ſuperbe errent. Et clivi in hac ſcriptorum viâ non pauci, ſcio, quos ſupercilioſi iſti numquam ſuperent, niſi adjuti à nobis. Sed videlicet ita humanum ingenium eſt, facilia putare quæ jam facta: nec de ſalebris cogitare, ubi via ſtrata. *Et poſt*: Hoc, inquam, apte dixerim de emendationibus noſtris & conjecturis. Quas ſpernunt multi repertas, ſudent multum in reperiendis. Nec tamen ego operam iſtam nimis etiam vendito; (ad majora quædam & altiora voco juventutem, & ad Sapientiæ ipſum collem:) ſed utilem tantùm clamo, & inter neceſſarios doctrinæ apparatus.

Iſaacus Caſaubonus, in Animadverſ. in Sueton. pag. 8.

Atqui hic eſt hodie ſolemnis & ἐπιδήμιος noſtrorum Criticorum morbus: qui ſimul aliquid nove & inuſitate dictum alicubi obſervarent, ſtatim quærunt, ubi poſſint, apud alium ſcriptorem, aut eum ipſum alio loco, intrudere ſuam illam obſervatiunculam, magnificis priùs verbis venditatam. Hac ratione integerrimi atque incorruptiſſimi auctorum loci, ceu corrupti & depravati, corriguntur. Τὸ δὲ ὅλον, περιέστηκεν ἡ νῦν κριτικὴ εἰς ἀκρισίαν, ἡ τῶν παλαιῶν ξυγγραφέων διόρθωσις εἰς παραδιόρθωσιν, ἡ σωτηρία εἰς ἀπώλειαν.

Bona-

Bonaventura Vulcanius, Præfat. in Apuleïum.

Magna ſemper habita fuit eorum hominum laus, vir nobiliſſime, qui in veterum autorum ſcriptis recognoſcendis priſtinæque ſuæ integritati reſtituendis elaborarunt. Quales profecto exſtiterunt, & avorum noſtrorum memoriâ, & noſtrâ ætate, viri aliquot eruditione excellenti, ingenio judicioque acerrimo præditi, qui multum lucis atque ſplendoris claſſicis autoribus attulerunt. Quo quidem nomine, ut Reip. literariæ magnopere gratulandum eſt, ita dolendum vehementer,exſtitiſſe hac tempeſtate nonnullos,qui,juvenili potiùs quâdam ingenii confidentiâ, quàm ſingulari quâdam eruditione fulti, hoc ſtudii genus aggreſſi, incredibile dictu eſt,quantâ licentiâ,quamq; indignis modis, in veterum autorum ſcripta ſœvierunt; dum paſſim, pro ſuâ libidine, vocabula vel in ſpeciem corrupta, vel alioqui parum ab ipſis intellecta, proterve rejiciunt, atque, è nudâ plerumque conjecturâ, quæque nullâ Ms. codicis autoritate nitatur, caſca quædam, & jam inde ab Euandro petita vocabula,ſubſtituunt, magnum operæ pretium feciſſe rati, ſi, ſe ἀρχαίυς eſſe, aliis probaverint. Graſſata eſt hæc ſciolorum audacia atque veſania (ut de mendis, quæ inſcitiâ librariorum irrepſerunt, nihil dicam) cùm in optimos veteris illius ævi ſcriptores, qui, ſi reviviſcant, ſua ipſi ſcripta ægre ſint agnituri; tum vero præcipue in Apuleïum, ſcriptorem, qui, ſive verba, ſive rem, & ſummam Latina de Græcis convertendi dexteritatem ſpectes, nemini claſſicorum autorum facilè cedit; qui quàm hodie corruptus & fœdis mendis obſitus circunferatur, ſciunt & dolent mecum multi.

Ibidem.

Ibidem.

Quum vero mſ. exemplar meum, quod ſecutus ſum, non omni ex parte ita fuerit probum, quin & ſuos habuerit nævos; non omnia promiſcue, in quibus ab excuſo diſcrepabat, in contextum recipienda judicavi; ſed, ubi excuſi codicis lectio non incommoda videbatur, eam reliqui, & variam veteris Codicis lectionem annotavi; meam quoque de nonnullorum locorum emendatione ſententiam paucisſimis verbis adjeci.

Ex Juſti LipsI Satyrâ Me nippæa.

Ex Oratione Varronis.

NOvum tibi viſum eſt iſtud corrigere; *& à rege Franciſco.* Miramur, te hoc dicere, hominem hiſtoriæ gnarum, & ævi prioris. Multa ſane ab illo rege præclara, & in bonum litterarum: non tamen iſtud. Jam inde, noſtrâ ætate, non certatio inter doctos fuit ſuper Ennii Plautique locis? Aelius Stilo, doctor meus, non perſæpe à Perſio aliiſque in ſcripturâ diſſenſit? non ego ipſe? non tu, M. Tulli, ab hoc Attico? quem meminens ſum alibi cum curâ quærere; *in Pyraeum*, an *Pyraum*, ſcripſiſſet Cæcilius. Tu ſerram in re levi cum amico reciprocas. Ambigere in hiſtoriâ, reque graviori, vetitum iſtis? Quid loquor? tu ipſe ille acer perduellis Correctorum, Lucretium Carum correxiſti: & in beneficio id, gloriâque, poſuiſti. Omitto Nigidium Figulum, Verrium Flaccum, Palæmonem, innumeros ejuſdem Muſæ. Ecce produco hunc Valerium Probum ex ſenatu noſtro, * qui

* *Verba Suetonii, de claris Grammaticis.*

exemplaria vetera contrahere, emendare, ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic, nec ulli præterea, Grammatices parti deditus. Addo Aſconium & Agellium; alterum Claudii, alterum Hadriani ævo. At illum non piguit, *deſcenderim*, an *deſcendere*, legendum eſſet. In Verrinis tuis anquirere iſtum: *Tris urbes*, an *tres*, Virgilius ſcripſiſſet: *ſtitiſſet*, an *ſtetiſſet*, Cato. Et laudi hæc inquiſitio iis, non fraudi, fuit. Nos cur iniqui judices in hujus ævi literatores ſumus? Non paria fortean præſtant? Pace collegarum liceat, majora. Typographia hac ætate inventa eſt, dono deorum quidem: non dubio tamen exitio noſtro, ni iſti obſtitiſſent, qui adminiſtrant in libris corrigendis. Ii veterum librorum ope; partim ingenii fiduciâ, dî magni, quot vulnera noſtra, quot cicatrices, ſanarunt? Tu M. Tulli, tu C. Criſpe, horum opem non ſenſiſti? non tu, Ovidi? Impius es, ſi negas; ſtultus, ſi fatêris. Et tamen nudari te poſtulas, magne Imperator. Credo, ut dentem videamus, ſuccumque tuæ Corinnæ. Ego ipſe non Joſepho Scaligero civicam de me coronam dedi? dedi, libens meritoque. Magna enim hæc res, P. C., mihi credite, magna, & non unius-è plebe doctorum. Si quis agrum noſtrum, ſtantem ſentibus, deruncinet, beneficium conferre cenſebitur: non conferent ii, qui à vitiis monumenta noſtra purgant, quibus ſolis vivimus? Et tamen modus quidam & ars ejus rei eſt, fateor. Ne fiat quod in veteri fabula eſt, *Thracius ruſticus*: qui quum vicinum putantem vites oleaſque vidiſſet, ipſe à ſtirpe omnes incîdit. At enim peccant ſæpe Correctores; & vulnus faciunt, dum medentur. Hîc tu te, Ovidi, jactas. Laudo. * nec umquam

C gratias

* Alluſum ad jocum veterem: *Niſi hic ſe jactaſſet, muſcæ te comediſſent.*

gratias tibi referet Criſpus. Sicarios adpellas, & lege Corneliâ damnandos. Cur tamdem? Patrem aliquis in acie ſervare voluit, &, dum hoſtem petit, gladio aberrante occîdit. Dic tu, Servi Sulpici, parricida eſt? Negabis. Voluntas enim eſt peccandi; quam leges puniunt; non eventûs. Simile in iſtis fit, qui quum voluntatem adtulerint juvandi, interdum tamen aberrant, & lædunt. Bivium enim ad corrigendum: libri, & conjectura. Prima via ſatis certa & tuta eſt: lubrica altera, præſertim quum in eam audaces & temerarii adoleſcentes inciderint, aut adoleſcentium ſimiles ſenes. Quos non eo defenſum. Seros quidem, germanoſque Criticos, magno opere ſuadeo ut retineatis. Magnarum arborum umbræ nos & altitudnes delectant, radices & ſtirpes non item. Simile in correctoribus eſt, in quorum operâ, hæc incorrupta pulchritudo artium manet, quas miramur, manebitque in æternum, licet modò per ignaros & inficientes iſtos, qui alienam operam invident, parci ipſi ſuâ. Ego, P. C., ſic cenſeo. Recitavitque ſententiam è tabellâ. quam Senatus eſt ſecutus, & quam habes in SCto.

FORMA SCti.

M. TULLIO M. F. CICERONE M. ATTIO PLAUTO COS. PRID. KAL. OCTOB. IN ÆDE APOLLINIS PALATINI, SCRIBUNDO ADFUERUNT M. TERENTIUS VARRO. P. NIGIDIUS FIGULUS. VERRIUS FLACCUS. C. CORNELIUS TACITUS.

Quod

Quod M. Tullius C O S. * V. F. de correctoribus, † D. E. R. S. ita cenſuit:

Correctores, hoc difficillimo rei litterariæ tempore, utibiles neceſſarioſque eſſe.

Non eos tamen promiſcuos: non indoctos, rupices, petrones. ſed qui conſilio, reque apſe, juvare ſcriptores priſcos poſſint.

Eâ re Senatui placere, uti lex Annaria ſervetur: neu quis minor xxv annis correcturam petere, gerere poſſit. Quique aliter petierit, geſſerit, vitio creatum videri, & correctiones ejus in Acta non mitti.

In ſenibus depontanis, quique majores annis LX, ſirempſe legem eſſe.

Utique Cenſores M. Fabius, Pomponius Atticus, alter ambove, de doctrinâ, deque moribus petitorum cognoſcant, ſtatuant, judicent. Quos hiſce admiſerint, probos eſſe: quos rejecerint, repulſos & rejiculos.

Si quis è libris bonis fidiſque correxerit, laudi ſemper eſſe. Si quis è conjecturis, noxæ.

Niſi eæ claræ, liquidæ, certæ ſint.

Qui alitercumque divinationibus uſus; in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges, non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleroſquæ teneat, Litigium & Prurigo; utrique rei Senatum proſpectum præcautumque velle.

De litigatoribus, uti quicumque poſt hunc diem cum altero velitari, prœliari, verbis, ſcriptiſve, auſus fuerit: eum eoſque in ludigladium damnari; uti proximo munere, colligati inter ſe, pugnent ſine miſſione.

* Verba fecit.

† De ea re ſenatus ita cenſuit.

De pruriginoſis, quos manum ſtylumque abſtinere à loco, loco audiant, ſano ſive inſano: uti Corn. Celſus Aedilis diſpiciat, qui ex iis ſanari poſſint, quique non poſſint. Qui poſſe videbuntur; eos deponi in templo Aeſculapii, quod in Inſula eſt, ibique ellebori bibere quantum ſatis erit: Qui non poſſint; eos in exſilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant, & libros non legant.

Si quis ambiguæ valetudinis erit: eum ad tempus relegari in Atlantidem inſulam, ubi memorantur ſomnia non videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine pulſatos acceptoſque indigne ſe à Correctoribus querantur; placere univerſis conſcriptis, eam injuriam contumeliamque impunem non eſſe, in vivis mortuiſque.

In vivis placere, uti L. Caſſius Prætor de cauſſâ eorum cognoſcat: quoſque noxæ ejus compererit; eos melle & ſeſamo oblitos diem unum deſtitui ad caldum ſolem ſtylis veſparum & muſcarum.

In mortuis, uti Menippus Philoſophus, qui viam novit, ad inferos proficiſcatur: & cum Aeaco de pœnis eorum agat.

Hæc ita cenſuerunt. Si quis huic SCto interceſſiſſet, placere auctoritatem perſcribi, deque ea re ad Senatum populumque referri.

Gulielmi Budæi parilis Lex è libris de Aſſe.

Qui diſcendi cupidi ſunt, juratiſſimi cujuſque ſcriptoris majeſtatem comiter conſervanto.

Quod ſecus (ut ſunt humana) dictum in eorum cujuſque libros irrepſerit, obrepſerit, fefellerit:

Qui de eo dicto indagandæ veritatis ergo addubitet, addubitaverit; quæſtionem referat, retulerit:

Quod

Quod eorum ab unoquoque abſque dolo malo, livore animi, factum ſit:

Ejus rei multa ne ſit.

Nec bonorum offenſio. Quod eſt inſtar ultmi ſupplicii.

Joannes Rivius præfat. in caſtigationes Orationum Salluſtianarum.

Neque verò interim ita ſum codicibus antiquis fiſus, nullo ut adhibito judicio fidem illorum ubique ſequerer. nam & correctiſſima quæque ex impreſſis contuli, & veterum Grammaticorum citationes obſervavi, & quid animadverſum ab illis eſſet, adnotavi. Quòd autem non minùs ſæpe conjecturas meas attulerim, quàm certò & conſtanter pronunciarim, in cauſſâ fuiſſe ſibi quiſque perſuadeat, velim, quòd nullâ re perinde optimos quosque corruptos & depravatos eſſe auctores exiſtimem, atque temeritate illâ ſciolorum quorumdam facile quidvis immutantium. Itaque nihil ferme uſpiam citra exemplarium veterum fidem atque conſenſum temere ſum immutare auſus. Quamvis autem ſedulò eſt à nobis data opera, uti quicquid heic mendorum eſſet tolleremus, adeò ut & perſecuti minima quæque ſimus: affirmare tamen haud auſim, eſſe omnia prorſus ad unguem, ut dicitur, caſtigata. namque id fieri nullo modo potuit.

Sequitur Typus, omnem emendandi ex ingenio rationem exhibens.

Emendandi ratio eſt vel in

- Literis. Ubi videndum, numquæ
  - corrupta è verâ. Quod factum occaſione
    - Dictationis.
    - Scriptionis ipſius; vel
      - Romanę & veteris.
      - Langobardicæ & novæ.
  - Omiſſa; idque ſimiliter vitio
    - Dictantis.
    - Scribentis. ejuſque vel
      - neglegẽtis, ignavi. Characterum ſimilitudine decepti.
      - Compendioſâ ſcripturâ utentis.
  - Supervacua.
  - Tranſpoſita. Quo refero & eas, quæ à verbo præcedenti vel ſequenti abſorptæ ſunt.
- Syllabis: ſi forte
  - Corrupta.
  - Omiſſa.
  - Supervacanea.
  - Tranſpoſita.
- Verbis. utrùm
  - Corrupta in
    - Diſſimilia, ſive tota. Quo & abbreviationes pertinent.
    - Similia, vel per partes. in
      - Principio.
      - Medio.
      - Fine.
  - Omiſſa.
  - Supervacua. Quo & gloſſæ pertinent.
  - Conjungenda, vel disjungenda; quæ perperã diſpreta fuerant, vel cohęſerant.
  - Tranſponenda.

DE LITERIS.

QUÆ CORRUPTÆ,

1. *Occaſione dictationis.*

Quod quàm facile peccari poſſit, quivis me tacente intellegit: ſi præſertim is, qui pluribus aliquid deſcribendum dictat, literas male pronunciet: vel excipientes ſurde audiant, nec diligenter attendant. Ita Nonius depravatus. Qui ait, *concelebrare* eſſe etiam *diffamare*: aut librarius ſcripſerat, *diu amare*: *v* conſonâ pro *f*. Huc referre poteram, quæ malui inferiùs collocare exempla. In quibus *b* & *v* conſona, *d* & *t*, *g* & *ch*, *b* & *p*, & literæ ſimiles, inter ſe commutari ſolent.

2. *Occaſione Scriptionis.*

Quia literæ inter ſe commutatæ.

Scripturâ veteri Romanâ.

Romani non his minutioribus, quibus nunc utimur, literis utebantur, ſed majuſculis illis & cubitalibus, A, B, C, &c. iiſque literis omnium vetuſtiſſima manuſcripta exarata ſunt. Alii libri non niſi initio verſuum vel periodorum Romanis literis illis grandibus utuntur. Earum non multæ commutationes hæ fere ſunt.

A, pro V, teſte Feſto, in *Refutare*.

B, pro V, ſæpiſſime. ut & Langobardicis literis ſemper *b* pro P. *conlabſum*, pro *conlapſum*. Sed hoc forte dictantis vitio. *Scribtum*, pro *ſcriptum*. *Scribſimus*, pro *ſcripſimus*.

C, pro G. *Prodicia*, pro *prodigia*, à *prodidendo*. apud Feſtum. Pro X. *Facit*, pro *Faxit*. Scaliger in Feſt.

D, pro L. *Dacrimas*, pro *Lacrimas*. Feſt. *Dautia*, pro *Lautia*. Pro R. Sic *Caduceum* pro *Caruceum*. Scal. in Feſt. Et Aulul. in Langianis mſſ. *Dedi*, ſcriptum pro *Redi*. Pro T. *Monedula*, pro *Monetula*.

E, pro O. *Apello*, pro *Apollo*. Pro I, ſæpiſſime. Et pro F. Moſtell. act. 2. ſc. 2. editur: *Euge obſecro hercle*. quum perſpicue verum ſit: *Fuge obſecro*. quia alter ſtatim ſubjicit: *Quo fugiam?*

F, pro E, ſæpenumero. *Frigit* pro *Erigit*. in Nonio. Pro P. Sic Aulul. ſcriptum, *Fitodicus*, pro *Pythodicus*.

G, pro C & Q ſæpe poni, tam notum jam eſt, quàm quod maxime.

I, pro A. *negibundus. impetrire*. Pro E. *mantiſa*, pro *manteſa. verberit*, pro *verberet*.

L, pro D. *Delicare*, pro *Dedicare*. Feſt. Pro R. *Conflages* & *Confrages*. *Sufflamen* & *Sufframen*. Scalig. ad Feſt.

M, pro N, & viciſſim hoc pro illo poſitum memini: Sed nulla nunc in mundo exempla ſunt. *Solemnis*, pro *ſolennis*.

O, pro AV. *oricula*, pro *auricula*. inde *oricilla*. *Oſculana*, pro *auſculana*. Pro V. *Orcus*, quaſi *Urgus*.

P, pro B, & R, poſitum, alii forte, quibus inquirere lubebit, invenient.

Q, pro G. Scaliger ait, *Anquina* dictum ab ἄγχειν. &, priùs fuiſſe *anquere* quàm *anguere*.

R, pro D. Scaliger ad Feſt. in Caduceum. Pro S. *Dolori* pro *Doloſi*. Varro.

S, pro R. *Arboſem*, pro *arborem*. Feſt. Pro X. *Coſſim*, pro *coxim*. Scal. ad Feſt.

T, pro D. *Monetula*, pro *monedula*.

V, pro

V, pro A, teſte Feſto in *Refutare*. Pro B, ſæpiſſime. ut & Langobard. pro O. teſtis Verrius.

Scripturâ Langobardicâ.

Plerique omnes, qui hodie in bibliothecis exſiſtunt, libri calamo exarati, non majuſculo illo & Romano characterum genere, ſed literis Langobardicis & minoribus, vulgo fere hodieque uſitatis, perſcripti ſunt. Eàdem ſcripturâ multis ſæpe compendiis ſive abbreviationibus utebantur. De quâ extremo hoc libro nonnulla ſubjiciam. Obſervare autem debes, me diphthongos in ſimplicium literarum ordinem retuliſſe illuc, ubi prior diphthongi litera collocata. ut, *Oe*, in O. ſimiliter *cl*, pro *d*, *ch*, pro *g*, in literam C. quamvis ſciam, non incommode ad literarum ſupervacuarum claſſem revocari potuiſſe.

a,

Pro *d* ſæpe ſcriptum. Et ſunt hæ duæ literæ ſibi invicem perquam ſimiles. quia *quid* in Symmacho reperi pro *quidquid*, & *avorum*, pro *duorum*.

Pro *e*. *potaſſe*, pro *poteſſe*. in 2. mſſ. Plauti.

Pro *i*. Sic in Symptomatis Julii Severiani ſcriptum: *Ubi judicem minùs intellexiſſe perſpexeris, numquam ei tarditatem ingenii objeceris, ſed ante culpam retorque, quòd parum dixeris.* Nemo non videt, corrigendum: *ſed in te culpam retorque.*

Pro *o*. *Solacl filio*, in Symmacho, pro *ſoloci filo*. *Calles*, pro *colles*, in Sulpiciæ Satyrâ, ut dixi in Veriſimil. In Amph. *Quom abeo*, editum pro, *quàm abeo.*

Pro æ. *Fameratam*, in Symmacho, pro *fœneratam*.

Pro *u*. *amor*, pro *humor*, in Symmacho. item, *optatibus*, pro *obtutibus*. In Plaut. *lacus*, pro *lucus*. *Latilant*, in 2. miſſ. Plauti, pro *lutilant*. Sic Langiani libri Ciſtell. *ubi extas commodo*, pro, *ubi ex Tuſco modo*. Aegre profectò in veteribus libris *a*, ab *u*, queas internoſcere.

Ae, pro *e*, ſæpe. *ne quæ*, in Symm. pro, *neque*. *Poëmatae mentaris*, in eodem, pro, *poëmate mentiaris*. *aliter prator*. pro, *aliter interpretor*. ibidem. Sic Langian. mſſ. *meragloſæ*, pro, *meraco ſe*. In 2. Camer. *Aere*, pro *here*. *æfando*, pro, *e fano*.

Au, pro *o*. Bacchid. mſſ. *auſcultatur*, pro *oſculatur*. & alibi ſæpius.

b,

Pro *d*, memini me alicubi invenire; ſed ipſum exemplum oblitus fui mihi notare. niſi hoc forte eſt, quod ſubjecit Ritt. ex Mil. Glor. Sc. *Satin' abiit. hic ad me abit rectâ viâ*, ut eſt ibi in 2. *MSC*. Camerarii. quum verum eſſe videatur, *adit*. Vulgo habet, *rectam viam*.

Pro *n*. *Bonam*, in mſ. Symm. pro *novam*, vel *nobam*.

Pro *p*, ſæpe poſitum magis opinor dictantis vitio.

Pro *ſ*. in Symmacho, *Incubare* ſcriptum, pro *incuſare*.

Pro *u*, fere ſemper. Sic apud Martianum Capellam ſtatim in principio: *Cantare ad thalamos ſeu genitricis habes*. Ibi Vulcanius *habes* interpretatur per *conſueviſti*. Ego non dubito, quin legendum ſit *aves*, id eſt, *vis*, *deſideras*. Pœnul. Plauti act. 3. ſc. 1. *Vinceretis cervum curſu, vel grallatorem gradu*. in 1. mſc. *glabatorem*. in alt. *clabatorem*. Lego: *clavatorem*, id eſt, hominem militarem. *Gradus*

autem

autem *militares* in proverbium abierunt, pro *grandibus*, *celeribus*. Sic, *Dabo*, in Camerar. & Langian. *MSC.* pro *Davo*. *Abſcultabo*, pro *auſcultabo*. In Symmach. *MSC.* *bellorum*, pro *vel horum*.

c,

Pro *d*; idque hac occaſione factum, quia primum illud *c*, in *t* commutatum eſt, *t* porrò in *d*. *Cum*, pro *Dum*. Veriſimil. meorum lib. 2. cap. 14. In Symmacho ſcriptum: *Lucem ac Romuleam*. correxi, *ad Romuleam*.

Pro *e*, ſæpiſſime. *Garumna calumniis*, pro *Garumnæ alumnus*. in mſ. Symmacho. In eodem: *Quid cum beneficio potiuntur*. de conjecturâ correxi: *Qui deûm b*. Et ita poſtea in Fuldano mſ. reperi. Veriſimil. 2. cap. 13. in Symmacho, pro, *Hanc itaque dico*, repoſui, *Have itaque dico*.

Pro *g*, ſæpiſſime. mſ. Symm. *Offenſis parcas*, pro, *offenſi ſpargas*. Teſte divo Scaligero, in Catullo ſcriptum, *macis*, *juncier*, *porcentur*, pro, *magis*, *jungier*, *porgentur*. Amphit. mſ. Camer. *Rem ut ceſſiſſem publicam*, pro, *geſſiſſem*. Aulul. mſ. *Clabrionem*, pro *glabriorem*. *Pincent*, in Epidic. pro *pingent*. *Atticas*, pro *attigas*, fere ſemper. *Obticere*, in 2. mſ. pro *obtigere*, vel *obtegere*. In iiſdem: *ac ninis*, pro *agninis*. Sic rurſum, *acnis*, pro *agnis*. *Morem vobis ceram*. 2. mſ. pro *geram*.

Pro *q*. Sic Capteiv. vulgo: *Nec cui minùs procedat, quicquid facere occœperit*. Lego: *Nec qui minùs p. q. facere occeperis*. *Delicuum*, in mſſ. Camer. & Lang. pro *deliquum*. Sic Bacchid. mſ. Camer. *Praco*; depravatum ex *pro aco*, id eſt, *pro æquo*. *Aecum* verò in 2. illis mſſ. & aliis ſemper pro *æquum*. *Anticum*, mſ. pro *antiquum*. *Secutus*; in 2. mſ. pro *ſequius*. Sic apud Nonium, pro *Commodo*, lego *quomodo*. Vide infrà de gloſſis.

Pro

Pro *ſ*, ſæpe. *Incipiſce*, apud Plaut. pro *incipiſſe*. Ciſtell. in Lang. *Voluiſti iſtucce verum facere*, pro, *iſtuc ſeverum facere*. *Aſcidite*, in mſ. pro *aſſidite*.

Pro *t*, ſæpiſſime, ita ut internoſcere has literas nequeas ſcripturâ Langobardicâ; ut & Scaliger in Catull. teſtatur. Ita apud Plaut. in Lang. mſ. *Iſtuc cibi eſt in manu*, pro *tibi*. Ibid. Camer. *Vos inter vos partite*, pro *parcite*. *Reſcitando*, in Lang. pro *reſtitando*. *Melliculum*, in Camer. & Lang. pro *mellitulum*. *Corpori*, in Symmacho, pro *torpori*.

Pro *v*. apud Summachum, *parca*, pro *parva*.

Pro *x*. Mercat. *Niſi hinc abducit*. ita 2. mſſ. Vulgò, *abduxit*. *Mala merciſt*. mſ. pro *mala merx eſt*. Stich. in 2. mſſ. *Condici*, pro *condixi*.

Ci, pro *d*. *Lucio*, pro *ludo*, in mſ. Symm.

cl, pro *d*, ſæpe. *clamant*, pro *danunt*, in mſ. Mercator.

d,

Pro *a*, ſæpe. Pſeudol. ſc. 2. in 2. mſ. *induellis*, pro *mavelis*.

Pro *b*. 2. mſ. Plaut. *Cordita*, pro *corbita*. *Adire*, apud Petronium & Propertium: correxi, *abire*. *Adducere*, ſæpe editum pro *abducere*.

Pro *c*. idque hac occaſione, quòd pro *d* poſuerunt *t*, & poſtea *c* pro *t*. Varro Eumenid. *Contrà cum pſaltriâ & cum florâ lurcare, adſtrepis*. In aliis libris: *at ſtrepis*. Jam diu eſt, quòd legi: *ac ſtrepis*.

Pro *cl*. *ducat*, in Plaut. mſ. pro *clueat*. *durius*, pro *clarius*. *Condiſcat*, mſ. 1. pro *concliſcat* vel *congliſcat*.

Pro *e*. *das*, in 2. mſ. pro *eas*.

Pro *h*. 2. mſ. Plauti: *dorida advecti ſumus*, pro *horiola*.

Pro

Pro *l. Fidiæ*, pro *filiæ*. Plura Veriſimil. lib. 3. cap. 8.

Pro *n.* 2. mſ. Plaut. *hercle quid dicam tamen.* pro, *quin dicam. Sine fide.* Symm. Correxi: *Sine fine.*

Pro *ol. dorida advecti ſumus.* in 2. mſ. Plaut. pro, *horiola.*

Pro *pl. dura*, in Symm. pro *plura.*

Pro *t. quod ut quiſque.* Symm. mſ. pro *quotus quiſque. Detuli*, apud Plaut. pro *tetuli. Idem*, pro *item.* ſæpe in Plauto & Symmacho. *Ludo*, 2. mſ. Plaut. pro *luto.* Sic Sueton. de illuſt. grammat. cap. 22. de Marco Pomponio Marcello: *Certe jam inde mentitur*, inquit, *Capito. Tu enim Cæſar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Nihili quidem eſt vox, *Inde.* Sed non propterea expungenda, ut fere voluit Achilles Statius Luſitanus: ſed corrigenda: *In te mentitur.* hoc eſt, mendacium in te dicit, quaſi tu Cæſar & verba barbara poſſis Latina facere.

Pro *x. Redit*, in Symmacho, pro *rexit*, ut correxi in Veriſimil. libro 2. capite 9.

e,

Pro *a. Et qua*, in mſ. Symm. pro *atque. Erubeſcentiam*, in eodem, pro *erubeſcant jam. quiſque ſi*, pro *quis quaſi. Fabule*, in 2 mſ. Plaut. pro *fabula.*

Pro *c. elementis*, in Symm. pro *clementis. lætari*, ibid. pro *lactari.* Sic in Plauto ſcriptum: *Nihili coaetio eſt.* unde Turnebus: *nihili coactio eſt.* Sic Caſin. act. 3. ſc. 1. editur: *eo addito ad compendium.* quum legendum potiùs ex Lang. mſſ. *coaddito ad comp.* pro *unà addito.*

Pro *f. erigentis*, mſ. Symm. pro *frigentis.* Capteiv. in Camerar. & Lang. mſ. *oferenatum*, pro *offrenatum.*

Pro *i*, ſæpiſſime. MS. Symm. *dictari debes*, pro *dicta videbis.*

ridebis. Idem : *Indicere ſervavi*, pro *indici reſervavi*. Sic, *acquieſcet*, pro, *acquieſcit*, apud Catullum ſcriptum, teſte Scaligero. Ut &, *que*, *ipſe*; *luce*; apud eumdem, pro *qui*, *ipſi*, *luci*. Aulul. mſ. *Cenſeone bubula*, pro *cenſione*. Sic in 2. mſſ. Camer. conſtanter ſcriptum, *ſemul*, pro *ſimul*. In iiſdem: *Clametare*, *verum*, pro, *clamitare*, *virum*. Sic Martianus Capella lib. I. *Pubeda vixdum*. legendum : *pubida*.

Pro *o*. *Elegeorum*, in 2. mſſ. Plauti, pro *elogiorum*. *Prator*, pro *prætor*, in iiſdem. Sticho, ſc. *Agite ite*; in 2. mſ. eſt : *Sed amica mea & tua dum cenat, dumque ſe exornat*. Vulgo : *dum comit*. Legendum itaque haut dubie : *dum comat*, id eſt, dum comatur. Quomodo legunt illud Terentii : *Dum comantur, dum poliuntur, annus eſt*. *Tecum*, in Plauto & Apuleïo, pro *totum*.

Pro *t*, ſæpenumero. Apud Symmach. *Inſervendi*, pro *inſtruendi*. Et, *magis eratum*, pro *magiſtratum*. *Veneris*, in 2. Plauti mſſ. pro *ventris*. *Aeque*, pro *atque*, ſæpiſſime. Veriſimil. lib. 3. cap. 2.

Pro *u*. *Metuum*, in 2. mſſ. Plauti, pro *mutuum*. In eiſdem : *pollectura*, pro *polluctura*. *In mene eſt facinus*, pro *inmune*. *Emendat*, in Juvenal. editum, correximus : *Emundat*.

Ei; pro *i*, fere ſemper in Plauto & alibi ſcriptum. *Deiphilus*, pro *Diphilus*. *Si veis*, pro *ſi vis*. *Deiciam tibi*, in Lang. pro *dicam*. *Quomque mei ſciam*, in Camerar. pro *conquiniſcam*. *Vilei*, in Lang. pro *vili*. *Diei* mſ. Camer. pro *Dii*. *Catameitum*, 2 mſ. pro *catamitum*. Mercator. 2. mſ. *Veirum hercle avet*. pro *virum*. In iiſdem : *Rebus mei ſeriis*, pro *miſeris*. *Mori rei*, pro *moriri*. *Eidem*, pro *idem*. correxi, *Nepotem*. Veriſimil. lib. 4. cap. 18. Vetus poëta apud Cicer. 3. de Offic. de Ulyſſe : *Quod ni Palamedis perſpicax prudentia Iſtius percepſet malitioſam*

cioſam audaciam, Fides ſacrata jus perpetuò falleret. Pro *Fides* in vett. libris ſcriptum, *Eide.* ſuffeciſſet autem, *fide*, pro *fidei.* Lego: *Idem ſacratum jus perpetuò falleret. Sacratum jus*, id eſt, ſacramentum vel jusjurandum, quo ſe Græci principes inter ſe obſtrinxerant ſuper defendendâ Helenâ. Virgil. *Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura.*

f,

Pro *c.* ut in Camerar. & Lang. mſſ. Caſin. *Offendam hymenæum.* pro, *occentem.* quia nimirum *c* primùm in *t* commutatum, *t* in *f.*

Pro *e*, ſæpe. Sic fere ſemper in Plauto ſcriptum: *forum*, pro *eorum.* Sed ingenioſi illi (ſi dìs placet) Critici ſubtiliter odorati ſunt veterem, neſcio quam, orthographiam, *forum*, pro *horum*, *f* pro *h.* acute! Sic Aulul. ſcriptum: *Fuge fuge.* pro *euge euge.* Sic Nonium, vel vitioſis uſum codicibus, vel nequiſſe inter F & E diſtinguere, exiſtimo, dum ſcribit, *Frigit*, ſignificat *Erigit.*

Pro *h*, Milite, in 1. mſ. *hic cum fera eſt.* pro, *cum hera eſt.* Niſi potiùs putabimus, pro *e* poſitum, omiſſâ adſpiratione; *eera*, pro *era.* & *e* ſæpe ſic repetitum, nonnumquam in *f* ille commutavit. Sic mſ. Symm. *Ferutager*, pro *Eruta Ger.*

Pro *p. hoc facto*, 2. mſ. pro *hoc pacto.*

Pro *ſ*, ſæpiſſime. *Linguam proferat.* Aſinar. quum in mſ. rectiùs, *proſerat. Ruffam gingivam*, apud Catullum vulgant, quum verum ſit, *ruſſam.*

Pro *t*, ſæpe. *Affixus*, in Catullo, ubi mſ. *at fixus.* Sic in Aulular. *Face* ſcriptum, pro *Tace.* & alibi ſæpius.

g,

Pro *c*, ſæpiſſime. *gaius*, in Symmacho; pro *caſus.* Plin. *Corybantia regrediunt.* Corrigit Scaliger:

Corybantiare credunt. Sic Aulul. mſ. *Congreditum*, pro *concreditum. Grocchibat*, mſſ. pro *crocibat. Mulgat*, Camer. & Lang. mſſ. pro *mulcat. congregem*, pro *congracem.* Moſtell. mſ. 1. Et vetuſte editi: *Quaſi non gratiam commeream aliam noxiam*, pro, *quaſi non cras jam com.* Amph. Lang. & Sambuci lib. *Atquin perge*, pro, *atque inperce.* Sic apud Propert. lib. 2. eleg. 32. *Altaque mortali deligere aſtra manu.* Corrigo: *delicere.*

Pro *ch. Egeumatis*, mſ. Plauti, pro *echeumatis.*

Pro *d.* Curcul. initio editur: *pangit ſaltem ſuavium.* ubi rectiſſime, adjuvantibus membranis, Palmerius: *Pandit ſaltum ſuaviis.* Sic Petron. *Catorogare.* Correxi: *Catomo dare.* nec me etiam conjecturæ pœnitet. Sic Pomponius apud Macrobium, lib. 1. Satur. cap. 4. *Dies hic ſextus quum nihil egi: die quarto moriar fame.* Nemo niſi luſcitioſus videt, corrigendum: *nihil edi.* Sic, *ego* & *credo*, in Plauto & Apuleio, alicubi permutarunt.

Pro *qu. Elogii*, in Symmach. pro *eloquii.*

Pro *t.* Accius: *Mors amici ſubigit, quod mihi eſt ſenium multo acerrimum.* Legendum, ſuſpicor: *Mors amici ſubit, id quod* &c. id eſt, *in mentem mihi venit.*

h,

Pro *b.* Pomponius Maccis: *Jam ego mihi adero dum ego revortor, age ante accinge ad molas.* Corrigebam: *Jam ego inibi adero: dum ego revortor à me, age accing.*

Pro *d.* Sic edunt Moſtell. *Nomen hominis quaero quod ſiet.* quum in mſſ. ſit: *nomen domini q.* Pſeudol. ſc. 2. in 2. mſ. *Adhuc hominem citò*, pro *adduc.* Sic apud Nonium: *Hoc & Magiſter.* corrigit Junius: *Docet Magiſter.*

Pro *t. humanum*, in 2. mſſ. Plauti, pro *tu manum*.

Quàm ſæpe perperam omiſſa vel inculcata fuerit hæc litera, heic nihil opus eſt inculcare.

i,

Pro *e. Inoliviſſe*, *recipi*, *conpigi*, *pictori*. in mſ. Symm. pro, *inoleviſſe*, *recepi*, *compegi*, *pectori*. *Alligaſſet*, in Plauto ſæpius, pro *allegaſſet*. *Viri*, pro *veri*. *Limbum*, in 2. mſſ. pro *lembum*.

Pro *l*. Teſtatur Scaliger, ſcripturâ Langobardicâ nullum eſſe inter *i* & *l* diſcrimen. *Ille te mulſo*, apud Catull. ſcriptum. corrigit Scalig. *Ili' & emulſo*. Sic argumento Aſinariæ ſcriptum: *ejus triſrae*, pro *è luſtris rapit*. Alibi in Plauto mſ. *Si cujus*, pro *Siculus*. *jactat*, pro *lactat*. Moſtell. *Non ſta itam*, pro *non ſtultam*. Ibid. 2. mſ. *Eluſa eſt*, pro *ei uſus eſt*. Pſeudol. & Trinum. mſ. 1. *aliatus*, pro *allatus*. Inde in altero mſ. utroque loco factum, *alienatus*.

Pro *s*. *gaius*, in Symm. pro *caſus*.

Pro *t*. apud Catull. *Salius*, pro *ſaltus*. Mſ. Plauti: *alius*, pro *altus*. *ſaliat*, pro *ſaltat*. Aulular. *Perii hercle ego miſer, aperitur bacchanal*. In Lang. mſ. *Miſer à perii bacchanal*. Legend. *miſer; aperit bacch*. Menæch. 2. mſ. *Ut ſceleſtus capiat*. pro *captat*. Sic Bacchid. act. 4. ſc. 4. *Invadam extemplo in opidum antiquum, & vetus. Si id capſo, geritote amicis veſtris aurum corbibus, ſi cui animus ſperat*. id eſt, *ſi quid ſperat*, inquit Interpres, omnia falſa & inepta interpretari inepte ſæpe ſolitus. Non multo felicior, quamvis ſubtilior, Hieronymi Groſlotii Liſlæi viri nobilisſimi lectio. Sed omnium certisſima, nec cuiquam docto improbanda, quæ mihi amicis Plautinas fabulas interpretanti ſub manu nata: *Sicut animus ſperat*.

Pro *u*. Symmach. mſ. *Nullum eminere*, pro *nullo me munere*. *Abſtridit*, in mſ. Plaut. pro *abſtrudit*. *Propidium*, in 1. mſ. pro *propudium*. *Concipient*, pro *concupient*. *Magidarim*, 1. mſ. pro *magudarim*. *Gilam*, 2. mſ. pro *gulam*. Sic Plaut. Perſ. ſc. *Satin' Athenæ*, MSC. Camer. leg. *gratiam concipient tuam*: quum ſi forte ſcribendum ſit, *concupient*. Vulgo, *cupient*. An ibi retinendum, *concipient*? ut ludat Poëta, ſolens more ſuo, in phraſi. Rem habebit, quod ſequi ſolet, *conceptio*. Utraque eſt conjectura Rittershuſii.

In, pro *m*, fere ſemper.

ij. Vide *y*.

l,

Pro *b*. *Parce à malo*, in 2. mſſ. Plauti, pro, *parce amabo*.

Pro *d*. *Lepulas*, in Langian. pro *lepadas*. *Divilia*, in 2. mſ. Camer. pro *dividiæ*. *Laptilis*, in 2. Camerar. & Vatican. mſſ. pro *dapſilis*. Vide Veriſimil. lib. 3. cap. 8.

Pro *h*. *bellorum*, in Symmacho, pro, *vel horum*.

Pro *i*. Sctipturâ Langobardicâ nulla eſt inter has literas diverſitas. *Prolecticia*, mſ. Camer. vulgo: *projecticia*. Sic Bacchid. pro, *fata Illorum*, rectiſſime Gulielmius: *Fata Iliorum*, id eſt, Trojanorum. Similiter Accius, Telepho: *Quantam Tyndareo gnata & Menelai domus Molem excitarit belli, paſtorque illius*. Corrigebam jam diu, *paſtorque Ilius*, id eſt, Trojanus Paris, qui pavit pecudes. Poſtea comperi, Scipionem Gentilem in Parergis: *Paſtorque Ilii*. Credo, quòd putarit, dictum, tamquam *paſtor populorum*, pro rege. Sed errat. *Perlurio*, in Plauto ſcriptum, pro *perjurio*.

Pro *h*. *Periplanes*, in mſc. Camer. pro *Periphanes*. Sic Palmerius pro illo, quod in Comicis frequens

cſt,

eſt, *Planum*, ſemper reponit, *phanum*, id eſt, perſpicuum. Neſcio quàm bene.

Pro *t. Divilia*, in 2. mſ. Plauti, pro *divitiæ*. & *Curcuſlidonis*, pro *gurguſtidoniis*.

m,

Pro *i n*, ſæpe. *Cum on*, mſ. Sym. Correxi: *cui non*.

Pro *n*, ſæpiſſime. *Tum*; in Plauto, pro *Tun'*. *Mox*, pro *nox*. *Quomque mei ſciam*, Ciſtell. 2. mſ. pro *conquiniſcam*. *Multis*, pro *nullis*, Veriſ. lib. 1. cap. 18. Salluſt. Catilin. *Ut nonnulli equites Romani, qui præſidii cauſſâ cum telis erant circum Concordiæ, ſeu periculi magnitudine, ſeu animi mobilitate impulſi, quo ſtudium ſuum in remp. clarius eſſet, egredienti ex Senatu Cæſari gladio minitarentur.* Omnino legendum: *animi nobilitate*. Idque ſtatim confirmatur; ut nimirum ſuum illum animum reip. probarent.

Pro *nc*. Amph. *Magis numquam officium meum facere*. Corrigit Gulielmius: *magis nunc quàm*.

Pro *ni*, ſæpiſſime. *Semorum*, in Symmacho. correxi: *Xeniorum*. *ammortuo*, in eodem. pro *animo tuo*. *Gratiam*, pro *Gratiani*. Veriſimil. cap. 17. lib. 2.

Pro *t n* vel *nt*. Sic ſcriptum in Symmacho fuerat: *cœperimus*, pro *ceperit nos*. *ducamur*, pro *ducantur*. Et hoc peccatum valde frequens eſt.

Pro *z* ſæpe ſcriptum, præſertim in fine dictionum. *Addem*, in 2. mſ. Plauti, pro *addez*. *addez* autem, pro *addecet*.

n,

Pro *b*. quia *u* & *n* nimis ſimilia. *u* autem & *b* ſemper inter ſe mutantur. Plautus: *Credo Anancæo datum quod biberet*. Correxi ex Dn. Bergii, viri doctiſſimi, ſententiâ: *ab Antæo*.

Pro *c*. *indixit*, mſ. Symm. pro *hic dixit*.

Pro *d.* Moſtell. in 2. mſſ. *Ne ad alias ædes perperam neveneris.* pro *deveneris. Canunt*, in Propertio. correxi; *cadunt*. Veriſ. 3. cap. 20.

Pro *m. Garunna*, mſ. Sym. pro *Garumna.* Sic in 2. mſ. Camerarii, apud Plautum ſemper *Menbra*, non *membra*, ſcriptum, & fere ſemper *ſublimen* & *febrin.*

Pro *r. Clabrionem*, in mſ. Aulul. pro *glabriorem. Plenum*, in Symmacho. Correxi: *plerum*, id eſt, plerumque. *Ante*, in Propertio. correxi: *arte.* Veriſim. 3. cap. 10.

Pro *u*, nimis ſæpe. *Bonam*, pro *novam*, ſæpe reſtitui. *nos vos*, *noſtrum voſtrum*, mirum quantis locis invicem mutarunt.

O,

Pro *a. Supervoranei*, in mſ. Sym. pro *ſupervacanei. Nec quo ſtabulum eſſet, ſciebam.* Petronius. Correxi: *nec qua ſt. Oblatis lucis aut omnibus*, in Symmacho. emendavi: *amnibus.*

Pro *au. hoſpitium*, in Symmacho. correxi: *auſpicium.*

Pro *e. Oro*, pro *ero. dato*, pro *date.* in Symmach.

Pro *g.* Apud Plaut. mſ. Camer. *Dabo meo acacon*, pro *dabo mega cacon.*

Pro *u*, ſæpiſſime. In mſ. Symm. *Motorum*, pro *muturum. quid ego ſtatis*, pro *qui deguſtatis. ravolas*, pro *rabulas. Conſolatus*, pro *conſulatus. Equos*, pro *equus.* & ſimilia, fere ſemper apud Catullum. *Abſtoleras*, mſ. Plaut. pro *Abſtuleras.*

Oe, pro *u.* Scaliger ait, in Catullo ſcriptum: *lœdere*, pro *ludere. pœnire*, pro *punire.* Sic *mœnire*, pro *munire. cœra*, pro *cura*: *cœrare*, pro *curare.*

P,

Pro *b.* credo vitio dictantis. *Scriplitæ*, mſ. Plauti, pro *ſcriblitæ. Pene*, pro *bene.* Veriſimilibus.

Pro

Pro *f.* Milite, ſc. ult. impreſſum, *Perii.* Correxi: ex mſ. *ferI.*

Pro *ſ. Lapſus*, in Ciſtell. Sed recte mſſ. *laſſus.*

Pro *t.* Curcul. *Amici compulerunt.* corrigit magnus Caſaubonus: *contulerunt.* Sic alibi Lipſius, pro *impulit*, correxit, *intulit.*

Pro *v. Calpitur*, mſ. Camer. pro *calvitur.* Salluſt. Catil. *Quod in bello ſæpius vindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardiùs revocati prælio exceſſerant, quàm qui ſigna relinquere, aut pulſi, loco cedere auſi erant.* In quo loco non de nihilo olim heſitavi. Quomodo enim *ſæpiùs* in illos vindicari potuit, quum rarò factum hoc legamus, alterum poſterius ſæpiſſime? An verò impune illos habuiſſe ſæpe exiſtimabimus, qui loco ceſſerunt? Nugæ! Quare corrigo: *ſæviùs vindicatum.* Quod jam veriſſimum eſt. *p*, pro *v.* quia primùm *b*, pro, *p.-ſabius*, pro *ſævius*; inde factum *ſæpius.*

Ph, ſæpe pro *f.* Ut apud Martianum Capellam, lib. 2. *Hæc aruſpicio exta phyſiculant.* Ibi puto legendum, *fiſſiculant.* Et lib. 1. *Aut denunciatâ pecudum cæde phyſiculatis extorum proſiciis viſcera loquebantur.* Miror quod ibi legit doctiſſimus Vulcanius: *phyſiculatis extorum proſicis.* & interpretatur: *Naturalibus reſponſis. Proſica enim à πρὸς & ἰκὼν, reſponſa, quæ ad ſimilitudinem humanæ vocis formata dabantur.* Quæ omnia tam falſa ſunt, ut putem, virum illum temporis cauſſâ potiùs, quàm quòd adſeveraret, ita ſcripſiſſe. Proſicia certe ſunt à proſicando. Plaut. *Vetui exta proſicarier.* Enimvero videndus de Fiſſo & Proſiciis Briſſonius, libro primo Formularum. *Fiſſiculare exta* etiam Apuleïus dixit, de Deo Socratis: videlicet; *Vel ſomniis confirmandis, vel extis*

ſiſſiculandis, vel præpetibus gubernandis &c. Ubi ſimili errore antea legebatur, *phyſiculandis*. Vide ibi P. Colvii Notas.

q, vel qu,

Pro *c*. *Quoqui*, Aulul. mſ. pro *Coci*. *Quomque mei ſciam*, mſ. Ciſtell. pro *conquiniſcam*. *Quom merui*, in 2. mſſ. Moſtell. pro *commerui*. *Quaſſâ fide*, in Symm. pro *caſſâ*. *Quia-nam*, in 2. mſ. Plauti, pro *Cuia-nam*.

Pro *cl*. Sic correxi in Moſtellariâ: *nimis cluis orator catus*. quum in mſſ. eſſet: *nimis quis*. Ipſum *q* videtur eſſe inverſum *d*. jam autem *d* imitatur *cl*.

Pro *d*. *Quiquem*, in 2. mſ. Plauti, pro *quidem*.

Pro *g*. *Dentiloquos*, apud Plaut. in Eyſtadino mſ. pro *dentilegos*. Sic, *anteloquium*, mſ. pro *antelogium*.

r,

Pro *d*. *Revortitur*, Camer. mſ. 2. Plauti, pro *devortitur*. in argum. 2. Mil. Glor.

Pro *c*. *Supervoranei*, in Symm. pro *ſupervacanei*.

Pro *l*. 2. mſſ. Plauti, *amagaribus*, pro *à magalibus*.

Pro *n*, ſæpiùs, teſte Scaligero. *E re gratâ*, pro *è re gnatâ*. Sic mſ. Camer. Bacchid. *Intendit herus*, pro *intendi tenus*. Sic, *arte*, pro *ante*, repoſui in Propertio, Veriſ. 3. cap. 10.

Pro *s*, ſæpiſſime, ita ut non temere in mſſ. has duas literas internoſcas. Plura exempla in Veriſ. 2. cap. 18. & 19. *rumpta*, pro *ſumpta*, in Symmacho. *Arto*, in Lang. mſ. pro *aſto*. *Diſperſis*, 2. mſ. Camer. pro *diſpeſſis*. Sic Salluſt. Catil. *Amicicias inimiciciasque non ex re, ſed ex commodo, æſtumare*. Lego: *non ex ſe*, id eſt, non ex ipſâ amiciciâ, vel ipſius amiciciæ dignitate & præſtantiâ. Nam aliter, *ex re*, & *ex commodo*, idem ſunt.

Pro

Pro *t*, ſæpe, non minùs quàm pro *s. rectam*, pro *tectam*, in Sym. Immo Langobardi nihil plane inter *t*, & *r*, diſcriminis faciunt. In Lang. mſ. *Monerulæ*, pro *monetulæ*. Pacuvius, Peribæâ: *Nam ſi te regeret pudor, ſive adeo cor ſapientiâ imbutum foret.* Lego cum aliis libris: *tegeret pudor*. Pudorem enim quaſi veſtem faciunt priſci, quâ animus ingenuus tectus eſſe debet. Plaut. Moſtellar. *Hæc illa eſt tempeſtas mea, mihi quæ modeſtiam omnem detexit, tectus quâ fui.* Apuleïus, 1. apolog. *Pudor enim, veluti veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſiùs habetur.*

Pro *v*. Sic editum hactenus in Menæch. *Facilen' tu dormus curans?* quum in mſ. ſit *cuvans*. quod nos idem eſſe docuimus, quod *cubans*.

S,

Pro *c*, ſæpe. Sic ſemper in 2. mſſ. Camer. apud Plaut. Et mſ. Symmach. reperias, *ſuſcenſere*, pro *ſuccenſere*. Sic Epidic. Lang. mſſ. *Aſtebis*, pro *ac Thebis*. *Parsunt*, pro *parcunt*. in Plautinis Camer. codd.

Pro *e*, *panes venerat*, pro *pane evenerat*. in mſ. Symm.

Pro *i*. excoloſtat, in Symmach. pro *ex colo itat*. *Suſpte*, in MSC. Plauti, pro *ſuipte*.

Pro *l*. *ſignum*, pro *lignum*. Veriſimil. lib. 1. cap. 7. *Aduſti caloris*, pro *adulti*. in Symm. Veriſ. 3. cap. 17.

Pro *p*. Milite, act. 1. ſc. 5. *Mihi pol è quõ ſuperſit.* mſſ. Camer. *mihi ſolâ equo ſuperſit.*

Pro *r*, ſæpiſſime. quia nimis ſimiles hæ literæ Langobardis. Veriſimil. 2. cap. 18. & 19. *Paſcunt*, mſ. Camer. pro *parcunt*. &, *hiſcum*, pro *hircum*. *juſſa*, pro *jura*. Symm.

Pro *t*, ſæpiſſime. Sic in mſ. Camer. & Lang. Aulul.

 ſcriptum,

ſcriptum, *Sutor*, pro *tutor. nauſea*, mſ. Camer. pro *nautea.*

Pro *x*, ſæpe. *Semorum*, in Symm. pro. *xeniorum. Colas*, apud Plaut. in mſ. Camer. & Lang. pro *colax. Seſcenta*, 2. mſſ. Camer. & *mers*, pro *ſexcenta, merx.* Vide Veriſimil. lib. 4. cap. 17.

Pro *z*. *Sonam*, in Plaut. 2. mſ. pro *Zonam.*

t,

Pro *c*, ſæpe. nec mirum, quia eædem fere ſunt literæ. *Caſta*, in Symmach. correxi, *caſea.* Sticho 2. mſſ. *Mala caſtra pularias*, pro *malacas crapularias.*

Pro *d*, ſæpe, & fere dictantis vitio. Mſ. Plauti: *at properabo*, pro *adproperabo. Divitiæ*, pro *dividiæ. Miſarcirites*, pro *miſargyrides.* Trucul. 2. mſſ. *Tuâ ſponte*, pro *Duas ponto.* Mil. Glor. ſc. *Cohibete. non invitus ſit patitur.* ita in MSC. 2. Camer. Vnde Ritt. divinabat, *idpatitur.* ut *ſ* ſupervacue iteratum ſit ex fine præcedentis verbi.

Pro *e*, ſæpe. *Utrumnumne*, Symm. pro *verumne. Atque*, pro *aque*, ſæpiſſime. Mercat. 2. mſ. *Viſunt tibi credere.* pro, *viſu ne tibi credere?* id eſt, *viſune. Dant.* 2. mſ. pro *dane.*

Pro *f*, ſæpe, ut dixi Suſpectar. lectionum lib. 1. cap. 3. Veriſimil. 2. cap. 18.

Pro *h. at*, in mſ. Lang. pro *ab.*

Pro *i*, ſæpiſſime. Sic Scaliger apud Catullum, ubi ſcriptum *inquit*, legit *inquii.* Sic in Langianis mſſ. apud Plaut. *fuit adorta*, pro *adoria.* Sic *tam*, pro *jam*, ſæpius apud Plaut. Accius Alcmæon. *Tanta ut fruſtrando lactans vanans protrahis.* Jam diu eſt quod correxi: *Tantâ vi.* id eſt, tanto ſtudio & conatu, ut ex ſummis viribus. de quo in Veriſim. Mercat. *Atque ut detis.* correxi; *vide ſis.* Tale eſt quod in Plaut. Trinum. ſc. *Larem.* Quum in utroque MSC. Camerar. legeretur,

Quid

Quid ſecutus eſt? Rittershuſius meus divinabat, ſcriptum fuiſſe, *ſecujus*, vel *ſequius*. Vulgo ibi editur, *ſecus*. Sed & in Aſinar. dixit Plaut. *ſequiùs quàm velles.* quomodo idem ex MSC. veſtigiis reſtituit.

Pro *l*, ſæpe in 2. Plaut. mſ. *continunt*, pro *conlinunt. multis*, pro *nullis*. Veriſ. 1. cap. 18.

Pro *n*. *Tunc*, pro *nunc*. in 2. mſ. Plauti.

Pro *p*. Menæch. *Edepol haut tua mendacia verba exterior eſſe.* Veriſſime Lipſius: *experior eſſe.* Nec mihi placet ſomnium olim meum: *ex re reor eſſe.* q. d. ex re ipſâ video, tua verba non eſſe mendacia.

Pro *r*, ſæpisſime. quia nimis ſimiles invicem. *Uſi*, pro *urſi*, in mſ. Symmach. Curcul. mſ. *Quum velle te cogito.* recte Gulielm. *quum belle recogito.*

Pro *s*. Divinitate, mſ. Symm. pro, *divinis à te. quod ut quiſque*, pro *quotus quiſque.* ibidem. *Gratiam*, in Moſtell. pro *cras jam.* Laptilis, 2. mſ. Camer. & Vaticani in Plauto, pro *dapſilis. Et*, pro *es*. Veriſ. lib. 2. cap. 16.

Pro *x*. Aulul. in Lang. mſſ. *Et voltu*, pro *ex voltu.*

Pro *z*. *Stilis*, in Apuleio editur. puto, ſcriptum fuiſſe, *ſcilis*, pro *ſcilicet.*

u,

Pro *a*. Scaliger in Catull. teſtatur, charactere Langobardico nullam eſſe inter literas has differentiam. *flutu*, pro *flatu*. Curcul. *durius*, pro *clarius*. Legiorum, in Symm. pro *legi oram.*

Pro *i*, ſæpe. *Dividua*, in Camer. Plaut. pro *dividia*. Sic Lipſius apud Plaut. pro *præfuciat*, legit *præficiat*. *Inſuliamus*, 2. mſ. pro *inſiliamus*. *Larguere*, mſ. pro *largiere*. *Duobolaria*, 2. mſ. pro *Diobolaria*. In iiſdem 2. Plauti codd. conſtanter exara-

tum eſt : *Surrupere* , pro *ſurripere.* Hinc *ſurruptus*, in iiſdem libris , & legibus XII. tabb.

Pro *ic. Dudum* , pro *diedum.* ut alibi in Plauto corrigo.

Pro *li. Ubertatem* , in 2. mſ. Pœnul. pro *libertatem.*

Pro *n* , ſæpiſſime. nec facile diſtinguas hæc elementa. Apud Catull. ſcriptum : *Credo ut.* ubi Scaliger : *Credant.*

Pro *ni. uti* , pro *niti* , infinitis variorum ſcriptorum locis.

Pro *o* , ſæpiſſime in Symmacho mſ. *Pupulari* , pro *populari. Muſellæ* , pro *Moſellæ. Colus* , pro *color. Nullum eminere* , pro , *nullo me munere. Curam* , pro *coram. turno* , pro *torno. Putare* , 2. mſ. Plauti , pro *potare.*

V,

Pro *b* , fere ſemper , ob ſimilitudinem credo pronunciationis. Livabi , Symm. pro *libavi. ravolas*, pro *rabulas. vaca* , pro *baca.* Plaut. mſ. *Ex hac ſtatuâ ververe avolo* , pro , *ex hac ſtatuâ verbereâ volo.*

Pro *d.* & facilis eſt lapſus ſi tantùm linea ſurſum extendatur. *advecta* , mſ. Plaut. pro *adducta.* Symmachus , lib. I. epiſt. 60. *Nam ſummates aulæ ; quibus juvandis iſte profuerat , teſtes potiùs habuit, quàm patronos.* In Fuldano mſ. *quibus juvandâ ſalute profuerat.* Non diſplicet mihi amiciſſimi mei Matthiæ Hubneri conjectura , ipſi apud me fabulanti , & aliud agenti , ſub manu quod dicunt, nata : *quibus in danda ſalute profuerat.*

Pro *ll.* Pſeudol. *quàm hac cavata eſt mihi epiſtola.* Puto, rectiſſime Lipſium corrigere : *hacc' allata eſt.* quamvis priùs putabam : *quàm hacce data eſt.*

Pro *n. Vos* , pro *nos.* in Plauto ſæpiſſ. *Vivo* , pro *vino.* Sic ex mſ. Lang. in Aulul. legendum : *Ego te*

hodie

hodie reddam madidum vino probe , Te cui decretum eſt bibere aquam. Vulgo : *ſi vivo probè , Tibi cui* &c.

x,

Pro *d.* Moſtell. 1. mſ. *Sex minis* , pro , *ſed minis.*
Pro *r.* Sic ſcriptum in Plauto : *exilis prævertit metus.* pro , *erilis*, vel *herilis.*
Pro *s.* ſæpiſſime. *Extruxit* , in mſ. Plauti , pro *extruſit.*

y , vel ij,

Sæpe pro *u. Calumniis* , pro *alumnus.* in mſ. Symmacho.

z,

Pro *m* , ſæpiſſime ſcriptum , præſertim in fine dictionum. ut bene Lambinus in Lucret. admonuit.
Pro *cet.* In 2. mſ. Plauti ſcriptum fuit : *addem. m*, pro *z. addez.* & hoc pro *addecet.* Sic in Apuleio ; *Stilis* , pro *Stiliz.* & hoc pro *ſcilicet.*
Pro *ſſ. badizas* , in Plauto ſcriptum , pro *badiſſas.*

LITERAE OMISSAE.

Vitio dictantis.

Quod quàm facile fieri poſſit , nemo ignorat. quum præſertim à veteribus conſonantes non duplicarentur , vel geminarentur. Fuit autem omiſſa ſæpe litera, quòd, duabus ſimilibus concurrentibus, in præcipitatâ pronuntiatione altera non facilè exaudiretur. Sic in Symm. *De ſepte montibus* , pro , *de ſeptem montibus.*

Vitio

Vitio ſcribentis.

Quod rurſus non uno modo fieri potuit. Vel enim librarii indiligentiâ omitti litera & perire potuit, ſi præſertim eadem litera præceſſerit vel ſequatur. Ut: *Quid judicare*, in Sym. pro, *qui dijudicare. Habitu mentis*, pro, *habitum mentis. In avibus*, pro, *in navibus. Vexor umorum*, pro, *vexor rumorum. Proximo repenſabis*, pro, *proximo ore penſabis.*

Quin etiam, ubi nulla talis vicina fuerit, literam ſæpe reliquerunt. *Mentaris*, in Sym. pro, *mentiaris. Scientes*, pro, *ſitientes. Occaſio numero*, pro, *occaſionum verò. Novi de re*, in Plauto mſ. Lang. pro, *non videre. Servabit idem*, Epid. ſc. 2. in mſ. pro, *ſervabit fidem.*

Amph. act. 2. ſc. 2. verſ. 129. legendum, poſcente ſenſu & libris Samb. & Langii: *Nego enimvero.* Vulgo: *Ego enimv.* Epid. mſ. *ab aliquibus latis*, pro *blatis.*

Inſcius, ſæpe mſſ. pro *inſcitus.*

Milite 2. mſ. *Philocomaſio id recipiendum eſt*, pro *præcipiendum.*

Sic apud Non. lego: *Moneris* &c. pro *monueris.* Ubi vulgo: *moveris.* Vult docere, *Monere* & *Movere* in ſecundâ perſonâ dictum; ut alia plura.

Pſeudol. ſc. 1. in 2. mſ. *Nihil ne adjuvare me ades?* Vulgo, *audes.* Ego tamen mſ. lectionem præfero.

Exemplo, pro *extemplo.* ſæpe.

Si, pro *ſic.* Pſeud. 2. mſ.

Propinare miciſſimam amicitiam. pro, *amiciſſimam.*

Lucificam, pro *lucrificam.* in 2. mſſ.

In iiſdem: *Quod malévolentes audeant.* pro *gaudeant.* &, *Conſuis.* pro *conſulis.*

N literam ſæpenumero omiſſam ſcimus. Et teſtatur

tur Scalig. in Catull. Ubi ſcriptum, *perures,antiſtas,* pro, *perurens; antiſtans.*

Simile teſtatur de literâ *m. Animu eſſirmas*, in Catull. mſ. pro, *animum.* Apud Varr. *Secundu ea*, pro, *ſecundum.* In Pandectis Piſan. *datu iri,*pro *datum iri.*

Hæc igitur omnia, & ſimilia, librariorum indiligentiæ errata adſcribemus. Illud vero errori, quòd, literarum diverſarum ſimilitudine decepti, quum eam geminare nollent, alteram omiſerunt. Quale ſphalma commiſſum Ciſtell. *Nihil amare injurium eſt.* Quum ſcribi debuiſſet: *à matre*; ut nobilium Germanorum doctisſimus Pflugius noſter vidit. Sed, quia *t* & *r* nimis invicem ſimilia; librarius, eaſdem eſſe putans, alteram reliquit. Sic Milite: *An heriatus neſcis.* pro, *an heri artus neſcis.* ut dixi in Suſpectis lectionib.

Editiones, in mſ. pro *edictiones.*

Edicas, *edicavi*, in Lang. mſſ. pro, *edictas*, *edictavi.* In iiſdem: *ediſſeras.* corrigit Gulielmius, *ediſſertas.*

Tertia denique cauſſa, cur literæ perderentur, adferri poteſt, quòd librarii compendioſâ ſcribendi ratione uterentur, & literam aliquam majuſculam ponerent, quæ innueret, ſe à lectore prorſum, vel retro, repeti debere; quo nihil in Pandect. Florent. ſæpiùs occurrit. Sic apud Apuleïum Stewechius ſcribit: *in lemurES reformant*, pro, *in lemures ſe reformant.* Et ego apud Petronium: *TrimalcionIS copanta eſt.* pro, *Trimalcionis ſycophanta eſt.* Quamvis hæc ad ſyllabas referantur commodiùs.

Sic mſ. Symm. *Sa TEmporis*, pro, *ſat te temporis.* *Praco*, in mſ. Camer. Bacchid. pro, *pr' aco*, id eſt, *pro æquo.*

Tales ſynalœphas Scaliger aït in Catullo multas fuiſſe. Ut: *qua m' Allius in re.* pro quo alii; *quâ Manlius in re.* Sic in Plauto: *Fruſtres*, pro, *fuſtra es.*

Credi-

Crediderit, Symmach. pro, *credid'*; *erit*, id eſt, *credidi*; *erit*. Plura vide inferiùs de ſyllabis omiſſis, &, De compendioſâ ſcribendi ratione, ſive, De Verbis Corruptis.

Literæ Supervacuæ.

Variis modis literæ additæ fuerunt: plurimas tamen ſuperiorum ſæculorum barbara ſcribendi ratio ſibi vindicat. *Conſcilium*, pro *conſilium*. *Sumptus*, pro, *ſumtus*. Temptare, pro, *tentare*. Comptus, pro, *comptus*. *dumecta*, pro *dumeta*. *deblacterare*, pro *deblaterare*. teſte Feſto. Qui & veteres ſcripſiſſe ait, *duſmoſum*, *Caſmenas*, pro, *dumoſum*, *camœnas*. *Præfactio*, *victricus*, *inchoactus*. in quibus omnibus *c*, vel *ſ*, abundat. Et in mſ. Symm. *edicto*, pro *edito*; *inductus*, pro *indutus*; *invictus*, pro *invitus*; *lectum*, pro *leetum*, ut ſcribebant antiqui, ſive *letum*.

Accius Pelopidis: *Ceſſo hinc ire, & rapere lucti veſtem in lecto conjugis*. Nec incertâ, nec contemnendâ conjecturâ ductus, ſcribo: *leti veſtem in leto conjugis*. id eſt, in funere, obitu. Similiter apud Nonium, in, *Longinque*, *lecto* pro *leto* ſcriptum fuerat.

Baptuatur, apud Plaut. mſ. Lang. pro, *batuatur*. Et 2. Camer. *captam*, pro *catam*.

Ad eamdem vitioſam ſcribendi conſuetudinem refero & illud, quòd literam *m* vel *in* (nec enim poſſunt facilè invicem diſcerni) tam crebro inſeruerunt. Veriſimil. lib. 4. cap. 8. Caſin. mſ. *Ego te porrectiorem frontem volo mecum loqui*. pro, *porrectiore fronte*. Trinum. *Scis ordinem, ut æquum eſt, tractare homines*, pro *ordine*.

Altera hujus peccati occaſio in eo fuit, quòd litera aliqua, eï, quæ vacat, ſimilis vel eadem, præcedit vel ſequitur. Sic mſ. Symm. *ammortuo*, pro *animo tuo*. ubi *r* inſertum propter ſimilitudinem

cum

cum *t*. Sic apud Cornelium Nepotem, in vitâ Attici, legitur: *Subitò tanta vis morbi in unum inteſtinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fiſtula putris eruperit.* Corrigo ex tribus optimæ notæ manuſcriptis: *fiſtula puris.* nam patet, eum de pure loqui.

Impetra, mſ. Camerar. pro *impera*.

Sæpiſſime vero in fine & principio dictionum litera aliqua ex præcedente vel ſequenti repetita eſt. *Velis ſcito.* pro, *velis cito.* Caſin. ſc. I.

Quòd veni in urbem, ubi impetravero, in mſ. Camer. *niſi impetravero.* lego: *ſi impetr.* τὸ *ni*, repetitum & factum ex antecedente litera *m*. Epid. ſc. 2.

Qui invident, omnes inimicos mihi iſtoc facto reperi. Partim de Gulielmii, partim meâ conjecturâ, lego: *Quin vide, ut omnes* &c.

Conſulis ſevocatio, pro *conſulis evocatio*. Sym.

Sit tu. 2. mſ. Plauti. pro, *ſi tu.*

Hemmortuum. in Lang. mſ. pro, *Emortuum.* iidem.

Hæc calumnia eſt tua. pro: *Hæc alumna eſt tua.* Sticho, ſc. *Agite ite.*

Impetrare oportet, quia æqum poſtulas. in mſſ. *poſtulat.* Lego: *qui æquum poſtulat.*

Cetera omnia menda hinc enata non niſi ſummæ librariorum neglegentiæ imputare poſſum, qui tam varias literas de ſuo addiderunt. præcipue vero *i*, & *m*. *Quia* pro *qua*.

Audivi di magis. Lang. mſ. pro, *haud vidi.*

Inierit. mſ. Camer pro, *inerit.*

Exterum. ita in Symm. pro, *ex te ſumta.*

Vitiatio, pro, *vitatio.*

Corybantia regrediunt. apud Plinium. Corrigit divus Scaliger: *Corybantiare credunt.*

Deiciam tibi. mſ. Lang. pro, *deicam*, vel *dicam, tibi.*

Filium, in 2. mſſ. Plauti, & vulgatis Symm. pro, *filum.*

Extra

Extra portam Mietiam, 2. mſ. pro, *Metiam.*
Nullius, pro *nullus.*
Quiam, 2. mſ. pro *quàm.*
Sic in Martiano Capellâ lib. 2. editum : *Te dicit ante fides ſacrumque plectrum Movit Threicium ſonare carmen.* Quum certum ſit, legi oportere : *Te dictante.*
Quam ſi. 2. mſſ. Plauti ſæpe, pro *quaſi.*
Tam cito, mſ. Sym. pro, *tacito.*
Plaut. mſ. Lang. *Tuaſtum tere.* pro, *tua eſt ; utere.*
Ocimo, apud Catull. pro, *ocio.*
Non foris cauſſâ. Epid. Lang. mſ. pro, *non oris.*
Inſcitus, pro *inſcius.*
Invitam, pro, *in viam.*
Sed eo. 2. mſ. pro, *ſedo.*
Perditus, pro, *peritus.*
Sexcenti longi. 2. mſ. pro *logi. Compendium*, pro *compedium. Aut vales.* 2. mſ. pro, *ut vales. Exiguo*, pro *exigo.*
Et talia infinita.

Literæ transpoſitæ.

NB. Retuli huc exempla ſyllabarum tranſpoſitarum.

Sum ſperatis, in mſ. Symm. pro *ſumpſeratis.*
Aſpreſſa, pro *aſperſa.* *Suita*, pro *juſta.*
Diuamentum, pro *adjumentum.*
Suſcepta, pro *ſuſpecta.*
Ut quem cum, pro *utcumque.*
Quamtam, pro *tamquam.*
Bonis, pro *nobis.*
Paremur re, pro *parem rure.*
Hæc omnia in Sym. mſ. In Catullo ſcriptum : *Cavent quo viſcre parent.* Conjecit Scaliger : *quo*

jure parent ſe. In eodem, pro *inſula* legit, *inluſa*, pro *leta*, *tela*. *Veſtris*, ibidem ait inverſum, pro *ſiveris*, *t*, pro *i*, poſito. Pro *maximus ultro*, reponit, *maximu' luſtro.*

In Plauto mſ. Camer. *concedit*, pro *condecet*. Aſinar. mſ. Lang. *hoc facto eſſe oſtendit*, pro *ſeſe oſtendit*. Similiter Pſeudolo, 2. Camerar. *Narrabit ultro quid eſſe velis.* pro, *quid ſeſe velis*. Aſinar. ſc. ult. *Poſtea demum hunc cras adducam ad lanam, ut viginti minas.* Quum ſit in mſ. Camer. *Poſt domum hunc cras.* Poſſet quis ſuſpicari: *Poſtmodum cras hunc* &c. *Poſtmodum*, id eſt, *poſtea*. *Penuſſime*, in mſ. Plauto, pro *peniſſume*.

Capteiv. in Lang. mſ. *Quaſi cum calcetur occlea.* litera *c* ex præcedenti verbo adſciſcenda, legendumque: *coccle*, *id eſt*, *cochlea*. Nam & Camerar. mſ. *coccles*. Sic Langian. *Haud nos didecet.* pro, *id decet.* Caſin. mſ. Camer.

Si facias certe aut commode, pro, *recte aut commode*. Moſtell. 2. mſ.

Gnaruri ſuo volo, pro, *gnaruris vos volo*. Milite act. 4. ſc. 2. verſ. 100.

Pro *Remorare*, in 2. mſ. eſt *Rememorare*. Lego: *Me remorare*. Quod ſequentibus confirmatur.

Lucill. lib. 37. *Hymnis velim te id quod verum eſt credere.* Lego: *nimis velim.* Quæ phraſis Plauto tritiſſima.

Seſumam, 2. mſ. Plauti. pro *ſeſamum*.

Perſâ mſ. *Qui evenerint recte, nec ne.* pro *Quieverint ne recte.*

Rudente, 2. mſ. *Defraudandum dares*, pro, *defraudares dandum.* In Lampridii Heliogabalo, pro *optant*, correxi, *putant*; *o* pro *u*. Vide infrà de verbis tranſpoſitis.

Huc refero & eas literas, quæ à fine præcedentis, vel initio ſequentis dictionis, abſorptæ ſunt.

 Sic

Sic apud Symmachum : *Quid judicatis*, pro *qui dijudicatis. Decor amorum*, pro *decora morum. Inlicio retrorſum*, pro *inlicior & rurſum. Faſtidior ennius*, pro *faſtidio renuis. Quia & cepto*, pro *qui accepto. Diligentia juſtitiæ*, pro, *diligentia ejus tua.*

Sic apud Senecam : *Injuria ejus ſit.* Corrigit Nicol. Faber. *Injuria jus ſit.*

Plura vide talia in Bongarſii ad Juſtini lib. 21. Notis.

Pro his verbis, in Aulular. *Anu, ea rem novit*, mſ. Camer. legit : *an veram rem novit.* Langiani mſſ. *An vera novit.*

Lang. mſ. *Niſi acervo mederis*, pro, *niſi ervom ederis.*

Milite, in 2. mſſ. *mihi ſola equo ſuperſit.* Correxi : *mihi ſolæ quo ſuperſit.*

In iiſdem : *nec reddant alteri*, pro, *ne credant alteri.*

Plura doctiſſimus Stewechius, Apul. quæſtionum lib. 2.

DE SYLLABIS.

Quæ Corruptæ.

Poſſent huc pleraque exempla coacervari, quæ inferiùs de verbis, principio, medio vel fine corruptis, proferam : poſſent quoque multa ex ſuperioribus, ubi literas depravatas dicebam, item huc referri. Sed id ſtudioſo harum rerum faciendum relinquo. Cui etiam hæc generalia capita præſcribimus, quo omnium, ſi velit, doctorum emendationes illuſtriores conferat. Illud tantùm heic admonitus ſit, ſyllabam ſæpe legi corruptam pro unâ literâ. ut *li* pro *b* ; *faciliùs*, in mſ. Symmacho, pro

faſcibus; *ci*, pro *d*; *lucio*, pro *ludo*; *tu*, pro *bi*. *Curat umus*. in mſ. Sym. pro *curabimus*. Niſi mancas putabimus voces, pro, *curaturi ſumus*.

Is, pro *u*. Caſin. Lang. mſ. *ſiti*, pro *ſui*. *ul*, pro *ill. quantulum*, pro *quantillum*.

Sic Lucillius lib. 27. *Rem cognoſcas ſimul & dictis animum attendas poſtula*. forte legendum: *poſtilla*. Niſi cui magis placet, *poſtulo*.

Arcula, in Petronio. Veriſimil. lib. 2. cap. 18. conabar corrigere: *argilla*.

in pro *m*, ſæpiſſime, & tantùm non ſemper.

Pſeudol. 2. mſ. *in duellis*, pro *mavelis*.

In Symmacho compluries circa ſyllabas peccatum. *Coquus*, pro *aquus*. *quod penſaſti*, pro *compenſaſti*. *quamque*, pro *meamque*. *quando*, pro *quandam*. *hominis melius*, pro *hominum eiius*. *oblatione*, pro *oblivione*. *hinc*, pro *huic*. & viciſſim. *vincier*, in Catull. pro *juncier*, hoc eſt, *jungier*. *Omnis*, ibidem, ſpro, *ò nimis*. *Sed erum*, in mſ. Plauti. vulgo: *Sed enim*. Correxi: *Ceterum*.

Plura ex hoc libro paſſim huc referas licebit: maxime illud; *vinciam*. quod recte ſcribitur in MSC. Plaut. ubi vulgo, *nunc jam*. Pſeudol. ſc. *Hi loci*. Vide Suſpect. lection.

VEL OMISSÆ.

In principio dictionum.

Vel ſummæ librariorum neglegentiæ & oſcitantiæ hoc peccatum imputamus, vel compendioſæ eorum ſcripturæ; ut & ſuprà de literis omiſſis diximus. Quando priori modo peccatum, ſcito ſemel, mi Critice, omnem tuam divinationem, niſi quid libri ſcripti auxilio fient, incertam & periculoſam eſſe. Si poſteriori, age qui ingenii laudem aucu-

paris, oſtende qui vir ſies: nullus tibi commodior omni hoc libro locus offeretur, quo ingenium exerceas. Atque, ut à me nonnihil juveris, digitum tibi ad eruendas tales emendationes intendam. Scire igitur debes, ſyllabam in principio vocis omiſſam ſæpe, quòd eadem præcedentem vocem clauſerit. Sic in Nepote ſcriptum: *deinde Celiam*, pro *deinde Deceliam*. Ibidem: *Circa ſamineam*, pro *circa caſam eam*. In Petronio: *Non ſentientis labra humeroſque ſopitionibus pinxit*. Dii boni! quàm ſe viri docti in illis ſopitionibus inveniendis torſerunt? At quàm liquido auſpicio in Veriſimilibus correxi: *ſopiti titionibus pinxit*. nempe τὸ *ti*, bis repetendum fuit. Sic in mſ. Symmacho: *non aliter precor*, pro *non aliter iterpretor*. id eſt, *interpretor*. *Sed ſimile*, pro *ſed ſi ſimile*.

Hoc primum. Deinde ſcito, ſyllabam, quæ non apparet, ex præcedenti verbo, literis retro relictis, adſciſcendam. Sic Caſinâ ſcriptum: *Iſtunc quid dicit dare*, pro, *iſtunc qui didicit dare*. Antiquitus videlicet, quum uterentur Romano charactere, ſcripſerat librarius: QUID DICIT. Duæ iſtæ majuſculæ literæ ſignificant, velle ſe, retro relectas repeti, ſic: *qui didicit*. In Pandectis Florentinis hoc nihil eſt frequentius. Ut: ME TU IRI. heic magna T innuit, geminandam eſſe ſyllabam, pro ME TUTU IRI, id eſt, me tutum iri. Apuleius: *In lemures reformant*. Putat optimus Stewechius, ſcriptum fuiſſe: *in lemurES reformant*. pro, *in lemures ſe reformant*. Sic Aulular. in Lang. mſſ. *Cave tu illi fidelis potiùs erus quàm mihi*. Didiciſti ſuperiùs, ſ & f ſæpe ceſſiſſe locum invicem. Fingamus itaque, ſcriptum: *PotiUS eris*, pro *potius fueris*. quæ jam proba & recepta eſt lectio. Et verò ſemel te obſervare oportet, etiam in retro relegendo literas nonnihil ſæpe mutatas. ſic Trinumo, ſc. *Huic ego diſertim*. in 2. mſ. eſt:

—— nam pudicum neminem
Ere oportet, qui abs terra ad cælum pervenerit.

Vulgo: *Eſſe oportet.* Quod mihi vehementer ſuſpectum eſt. nam verſus debet eſſe ſeptenarius. Puto, ſcriptum fuiſſe: *nemiNEM ere oportet.* pro, *neminem menere*, vel *manere*, oportet. Atque hæc, & quæ ſuprà de literis omiſſis dixi, circa poſteriorem modum Criticus ingenioſus obſervare debet. Si priori modo, id eſt, ſi librarii oſcitantiâ, ſyllaba interciderit, ægre aliquid certi inveneris. Sic apud Catullum ſcriptum: *Jupiter, ut telitum omne genus pereat*, Scaliger ille multo ſagaciſſimus feliciter opinor repoſuit: *ut ſicelicum omne genus.* Idem, quando in eodem poëtâ legitur: *Sanguinis expertem non veris eſſe tuam me.* ſcribit: *non ſiveris eſſe.* Pſeudol. 2. mſ. habent: *Invenires tuum*, pro *invenires mutuum.* Ibidem: *ſavia ſuper via*, pro, *ſuper ſavia.* hoc eſt, *ſuavia.* Sticho editur: *Non operam datis.* Correxit ex mſ. Camer. & Rittershuſius: *Somno n'operam datis?* Symm. *Sæpe petita.* Correxi ex mſ. *ſæpe repetita.* Juvenal. *Vis certe pilâ, cohortes.* Correxi ex libro veteri: *vis ducere pilâ.* Lang. mſ. Plaut. *In ſortitat*, pro, *in ſorte reſtat.*

IN MEDIO.

Difficile & durum eſt opus, ſyllabas in mediâ voce omiſſas invenire, & veluti fugitivam reprehendere. Quare, ſi ſententia patiatur, vel maxime heic Criticorum audaciæ indulgeam. Sic mſ. Camer. in Plauto: *Qui illi conlitum ſiet.* pro, *conlibitum.* At Lang. mſſ. inde corruperant, *conlatum. Leoni*, in Lang. pro, *legione. Reſtis*, pro *reſiſtis. Senio*, pro, *ſelenio. Velati*, in 1. mſ. in altero, *veliati*, pro *velitati. Circumſtitis*, pro *circumſiſtitis.* In 1. mſ. *Dericuſt*, in alt. *Dericuluſt*, pro *deridiculus eſt. Particaverit*, 2. mſ. pro *participaverit*, In iiſdem:

 Hoſtium,

Hoſtium, pro *hoſpitium. praditus*, pro *prapeditus*. Rudent. *Da mihi veſti aliquid aridi.* ita 2. mſ. pro, *veſtimenti.* Et alia nimio plura, quæ adferre heic nolo.

IN FINE.

Symmachus: *Editio noſtra*, pro *editioni*. Aulul. in Lang. mſ.

Facitete platea pateant, pro, *facite tota platea pateant*. Epid. Langian.

Nihil moror mihi de pra facis exoras. pro, *mihi deprecatorem facile exoras.* Pœnul. 2. mſ.

Et ſi hic habit tamen, pro *habitabit tamen*. Rudent. 2. mſ. & vetuſte editi.

Nam hoc quidem venatuſt. pro *vere natum eſt.* Ibid.

Ab iſto auferre aut ſim. ita 2. mſ. pro *haud ſinam.* Sticho. 2. mſ.

Si hanc rationem inſtis. pro *inſtituis.*

Latrones ibus. 2. mſ. Plaut. pro, *latronibus*. Pœnul. mſ.

Oſtende ut inſpicijam aperi. pro, *ut inſpiciam jam, aperi*. Sticho. 2. mſ.

Senex extabeſcit dies. pro, *ſenſim extabeſcit. Interdum*. 2. mſ. pro, *in terra dum.* Iidem.

Proſumpſerit. pro, *proprium ſumpſerit. Domi*, pro, *domini.* ſæpe.

SYLLABA OTIOSA
& Supervacua.

Variis modis ſyllaba aliqua inferciri potuit, plerumque verò ex repetitione præcedentium & ſubſequentium. Præpoſitio *In* ſæpenumero vacat, (ut dixi Veriſimil. lib. 4. cap. 9.) ſi præſertim litera *m*

ſequatur

ſequatur vel præceſſerit. *Opere reſpiro*, pro, *ope reſpiro. adfectionis niſi*, pro *adfectio niſi. diligentia juſtitia*, pro, *diligentia ejus tua. Neceſſe eſt enim improbes.* pro, *neceſſe eſt enim probes.* Hæc ex multis pauca in Symmacho peccata attuli. Nunc quædam ex Plauti mſſ. recenſebo. Lang. *Verorum mirificant*, pro, *vero rumificant. admutilababit*, pro *admutilabit. Meminit à me non*, pro *memini tamen. Niſi acervo mederis*, pro, *niſi ervom ederis. Conſpicit illo*, pro, *conſpicillo. Peperit*, pro *periit. Ornamenta*, pro *ornata.*

Mercatore mſſ. Camer. *Haud etiam quicquam inepte faciam, amantes ut ſolent.* quum verum ſit: *feci amantes ut ſolent.* ſyllaba *am* repetita fuit.

Impenetrabilior, pro *impetrabilior.* Pſeudol. ſc. 2. verſ. 23. 2. mſ.

Profectò inanilogiſta es, pro *inanilogus es.* Niſi forte legendum: *inanilogiſta es.* vel: *inanilogus tu es.*

Solus ſermone eſt omnibus, pro *ſermo eſt.*

Duplici tibi, pro *dupli tibi.*

Ordinandi, pro *ornandi.*

Præficiſcine, pro *præfiſcine.*

Belliata, pro *bella.*

Id mihi ſatereſt loci, pro *ſat eſt loci.*

Sic in Symm. *Ea nobis in commune quantum cara fuere.* Correxi: *immane quantum.*

In eod. *præterlabitur*, pro *prælabitur.*

Juvenal. *Minime corruptor.* Correxi: *mimæ corruptor.* Nam, quod Scheccius ſui libri auctoritatem adfert, in quo fuerit, *hyminis corruptor*; certe nequam & nihili eſt, & Rittershuſiano codice optimo confutatur. Et, quamvis in re præſenti Vir ille doctiſſimus, mihique peramicus, ita in libro ſuo ſcriptum, poſtquam hæc ſcripſeram, oſtenderit: cur tamen fidem illi ſcripturæ adhibere nolim, cauſſa eſt, quia nimirum liber ille, ut in calce illius habetur, cujuſdam venerabilis patris judicio quaſi

centum abhinc annis recenſitus fuit. Jam autem non ignoramus, quàm ingenioſi ſæpe in has nugas, otio illi abundantes, patres fuerint. Quod & de hoc ſuſpicari libet, præſertim quum idem ad oram hujus verſus adjecerit: *Eſt magnum crimen, corrumpere virginis hymen.* Liceat itaque mihi à capite amico diſſentire, meoque uti judicio.

Sed & alium modum obſervo, quo ſyllaba ſupervacua fieri potuit. Librarius, verbi gratiâ, ſcripſit jam duo verba, tertium imprudens præterit, & quarti verbi duas literas ſcribit; & tum demum animadvertit, ſe omiſiſſe tertium: quartum igitur, cujus jam duas literas poſuerat, non abſolvit, ſed tertium ſcribit; poſtea quartum integrum: Quo modo in 2. mſ. peccatum, Trinum. ſc. *Sta illico. In foro operam amicis ha da haud in lecto amicæ*: pro, *operam da, haud in l. a.*

Syllabas tranſpoſitas vide ſuprà in Literis tranſpoſitis.

DE VERBIS.

Quum in toto hoc commentario egregia & acerrima mihi moleſtia devoranda fuit, portentoſas depravationes, cum curâ, & portentum unumquodque, ſub ſuum veluti ſignum revocanti: tum in verborum corruptorum collocatione longe mihi majorem, quàm quis exiſtimare poſſit, quámque adeò in principio metueram, laborem objectum video. Quo magis veniam ab æquo lectore impetravero, ſi ordine minùs commodo quæque propoſui. Quum quoque id in primis ſpectaverim, ut Criticoexempla per me, ad ſimiles correctiones inveniendas, ſuppeterent. Et verò quid huic conducit rei, quo loco poſita fuerint, dum Criticus, quo modo depravata fuerint, perſpiciat? Quare mei purgandi verbum non ampliùs addam.

Corrupta in diſſimilia; ſive tota.

Sicut ſimilia verba voco, quæ non niſi in principio, medio, vel fine, ab alio diſcrepant: ita diſſimilia, quum in omnibus fere ſyllabis aliquid diverſitatis apparet. Unde autem hanc tantam verborum immutationem in libros bonorum ſcriptorum fluxiſſe dicam, neſcio; niſi quòd vel maxime ſciolorum, quidvis pro ſuo captu ſuperioribus ſæculis, more inveterato, interpolare ſolitorum audaciam, & librariorum ſummam vel inſcitiam vel oſcitantiam, accuſandam exiſtimo. Sed nos noſtro heic modo & more ipſa exempla proponamus.

Per, ſæpe locum præpoſitionis *Pro* occupavit; ut ab aliis demonſtratum eſt. Eâ occaſione locum Salluſtii corruptum puto, qui in doctiſſimi Ciacconii libro hac facie viſitur: *Sed eâ tempeſtate capere per ſe quiſque magis extollere.* Suſpicor, legendum: *pro ſe quiſque magis ſe extollere.* Particulam *ſe*, interſerui, conflatam ex finali & principali duarum vocum literâ. Cujus rei exempla ſuperiùs de literis omiſſis, & infrà de verbis omiſſis. *Pro ſe quiſque*, idem notat quod, *ſtudioſe*, *ſummâ ope*, *omnique conatu.*

Moſtell. 2. mſſ. legunt: *Putrefacit per operam fabri.* pro, *putrefacit aër operam fabri.*

In Plauti mſ. *Pereficiſcini*, pro *præfiſcini.*

Capteiv. prologo ſcriptum: *mendiceravice*, pro *mendicarier.*

Emiſſum tibi ſtalitio, pro, *emiſſim titivilitio.*

Epidico edidit Lambinus: *Geſtant copulas ſecum duas.* Sed in mſ. Camer. *ſecum ſiavi.*

Eluſa eſt, 2. mſ. & vett. edit. pro, *ei uſus eſt.*

Menæch. Prolog. 2. mſ. *Modò incaditat leno.* Unde fortaſſis legendum: *Modò in eâ bitat leno.* Vulgo: *Modò*

enim idem ſit leno. Utinam illud *bitat* tam probare poſſim, quàm illud, *in eâ.* nam certe de fabulâ loquitur. *d*, pro *b*, ſæpiùs in Plauto ſcriptum. *Bitare*, eſt *itare*, *ire*, *incedere.*

Menæch. act. 4. ſc. 3. *Numquam factum reperies.* in 2. mſſ. *factum relegeris.* Quod mihi non ſic de nihilo videtur.

Ibid. act. 5. ſc. 2. *Exoſſabo, dein dedolabo aſſulatim viſcera.* mſſ. 2. *dein oſſe fini dedolabo aſſulatim viſcera.* Putabam: *Exoſſabo os, deinde dolabo aſ. v.* Sed profectò aliquid aliud monſtri latet.

Milite, ſc. 1. in mſ. *Cum auris aurib.* pro, *cum armis aureis.*

Ibid. act. 1. ſc. 3. *Paret artem & diſciplinam.* mſſ. 2. *Earumque artem.*

Quæ per tuam nunc vitam vivit. 2. mſſ. *vitam vult.*

Eâdem fabulâ, act. 4. ſc. 6. verſ. ult. *Accerſit hanc hinc credo.* mſſ. 2. *accerſit hac iram hic.*

Ibid. *Quàm uxor ad ſtabulum juvenis recipiat ſe.* pro, *quàm mox horſum ad ſtabulum junix recipiat ſe.*

Heum mihi. mſ. pro, *heu mihi.* Mercat.

Cercurum. mſ. 1. *Gubernatorum.* mſ. alt. *gerariam.* Pſeudol. ſc. 2. in 2. mſ.

Qui ſitus eſt, ſus eſt. pro, *qui eſt, vivus eſt. Divo noſtro*, pro, *domino noſtro.* in Symmacho.

Ruimus. mſ. Plaut. pro, *rivinus.*

Minimo. apud Catullum. pro, *nimio.*

Sic *minus* & *nimis* ſæpiſſime inter ſe mutata, ut dixi in Veriſimilibus.

Salluſt. Catilin. *Conturbari rempub. quàm minùs valere ipſi malebant.* Sententia ſuadet legamus: *nimis valere.* Nolebant ſcilicet ut nimis potens eſſet Romana propago.

Merulea. 2. mſ. Pœnulo. pro, *morula.*

Res ipſas. in Symm. pro, *res priſcas.*

Cura.

Cura. ibid. pro, *coram.*

Nam, pro *nunc. Non*, pro *nunc. Nec*, pro *nunc.* ſæpe in Symm. Plauto, aliis.

Si, pro *ſic.*

Eidem. apud Plaut. pro *fidei.*

Vocibus tuis. Sym. pro, *actibus tuis.*

Metus, pro *latos.* Symm.

Nemo mavolim. Langiani mſſ. pro, *nimio mavolim.*

Diverſorum. Sym. pro, *de urſorum.*

Atque, pro *neque.*

Quando & *Quoniam* (ut Scaliger in Catull. teſtatur) fere ſemper pro *Quum* vulgo reſcriptum eſt. Sic *cur* pro *quum. Toto*, pro *cuncto.* in Catull. & Apul.

In Plauto: *Experior de me.* Recte Muretus & mſ. Camer. *experior domo.*

Tu verbis probas. in Sambuci & Lang. mſ. *in verbis.* Aulul.

Illa illum neſcit, neque compreſſam autem pater. Lang. *autumat pater.* Pœnulo, ſc. 2. Item: *nos ſumus ejuscemodi.* mſ. 2. *ſumus ejus ſeminis.*

Suſcepta, mſ. 1. pro *ſuipte.*

Pace, 2. mſ. pro, *eugepæ.* Rudent. act. 3. ſc. 4.

Etiam vim proportas. pro, *vim opprobras.* Ibid.

Illos mores monſtrabant poplo. 2 mſ. pro *potio.* Trinum.

Hoc nequeo mirari ſatis. mſ. 2. *metuo mirari.*

Suſpenſus, & *ſuſpenſum*, pro *ſuſpirium.* in iiſdem libris.

Huc pertinent, quæ de abbreviationibus in finem rejecimus.

Corrupta

Corrupta in ſimilia ; ſive per partes.

In principio.

Plautus : *In me culpam transferas.* Langiani mſ. *conferas.*

In Aſinar. argumento : *Ob re reptam mulierem.* pro, *ob prareptam.* nempe litera *b* , pro *p* , ex *ob* repeti debuit : pro , *ob brereptam.*

Familiam , pro *filiam.* Bacchid. mſ. Camer.

O per religatum pectus. pro , *o praligatum.* Moſtell. mſ. 2.

Canorem merum, pro, *clarorem merum.* Mercat. mſ. 2.

Quod niſi luderet , ne luberet vivere. pro , *niſi puderet.* Pſeudol.

Nunc jam potiùs. Correxi : *vinciam potiùs.*

Taces. mſ. pro *places.*

Operam velocem , pro *celocem.*

Mande. 2. mſ. pro *deinde.*

Populo , pro *pipulo.*

Quicquam , pro *cuiquam.*

Fides. 2. mſ. Menæch. pro *pedes.*

Hac communia. in mſ. Symm. & 2. mſ. Plaut. pro *hac omnia.*

Quatuor duros. mſ. pro *viros.*

Nuſquam & *numquam* ſæpiſſime mutuo ſe expulerunt.

Animo forti atque affirmato , in Plauto ſcribitur. Vulgatur : *obfirmato.* Capteiv. Lang. mſ.

Num quo fueras vocatus ad cenam. Placet vulgo : *Num quo foras vocatus.*

Atque ideo , ſæpiſſime in Symm. pro , *atque adeo.*

Reddiderit. Symm. pro , *crediderit.*

Nam

Nam, pro *jam.* Plautus.

Ingratus. Capteiv. pro *iratus.*

Mihi, pro *mei.* in 2. mſ. bis, apud Plautum.

Si, pro *ni.* Veriſim. lib. 2. cap. 20.

Uti & *niti* in Symmacho, Apuleïo, aliis, ſæpiſſime commutarunt.

Majores, in Sym. & Plauto, pro *mores.*

Sperasſem, in Sym. Correxi: *reparaſſem.*

Scilicet & ſolito, apud Tibullum, pro, *ſi licet & ſolo.*

Omnia, pro *obvia*, apud Catullum. quia ſcriptum, *ouvia.*

Ludeam. in Lang. pro *lauream.* Bacchid. ſc. ult.

Aetate credo eſſe mutas. mſ. 1. *ruttas.* alt. *mutatas.* Caſin. mſ. 2.

Offendam hymenæum. pro *occentem.*

Pereſiſcini. in mſ. Camer. pro *præſiſcini.*

IN MEDIO.

Pro *obſcavavit*, in Plauto, ſcriptum: *obſcaervavit.* in aliis: *obſervavit.* al. *obſcanum.*

Proſapientia. mſ. pro, *proſapia.*

Speratrix, 2. mſ. Mercat. ſemper pro *ſpectatrix.*

Pſeud. 2. mſ. *Incipere*, pro *injicere.* Sic & Lang. mſ. *recipe*, pro *reice.*

Pollector, mſ. 2. pro *pollinctor.*

Conſtabor, pro *conſcreabor.*

Aretit, pro *areſcit.*

Intus viſam, pro, *interviſam.*

Eum ſtrenâ obſcevavit, pro, *eum ſtrenua opſonavit.*

Proſecutus, pro *profectus.* *Famula*, pro, *familia.*

Verbera, pro *verba.*

Subluït, pro *ſublevit.*

Impera cito, pro *impercito.*

Potio, pro, *poplo.*

Confringantur, pro *confricantur.*

Con-

Concinnas, pro *concias*.

Abſcedite, pro *aſſidite*.

Hæc omnia, & multo plura, ſunt in optimis Plautinis Camerarii & Langii codicibus.

Laſſus & *lapſus*, in Plauto, Propertio, aliis, ſæpe invicem permutantur. ut &, *Ais* & *agis*.

Conjunxit, apud Catullum, pro *comminxit*.

Ibidem: *conjuncta*, pro *comminctа*.

Legationem, mſ. Camerar. pro *legionem*. Caſin.

Pro, *medulla*, in Cam. *mellilla*. in Lang. *mellila*. forte *mellita*. Sticho, ſc. 4. duo mſ.

Nimis vellem hæ fores herum fugiſſent, eâ cauſſâ, ut haberent manum. Vulgo: *malum*.

Pro *deblateraſti*, in Plaut. libri Cam. & Lang. habebant, *deblattaviſti*. Eyſtadinus codex: *delatraſti*.

Referenti, 2. mſ. pro *referri*.

Rumorem, mſ. pro *ruborem*.

Prælationibus, in Sym. pro *præluſionibus*.

Oblatione, pro *oblivione*.

Factoris, pro *fatearis*.

Elogii, pro *eloquii*.

Animi, pro *anni*.

Optatibus, pro *obtutibus*.

Onuſtam, pro *honeſtam*. & vice verſâ.

Aliaque nimio plura, in mſ. Symm.

Defectus, pro *defeſſus*. apud Apuleï. & Phædrum.

Contrà, *Indefectus*, apud Tertullianum, pro *indefeſſus*.

Diſtracto, pro *diffracto*. in Apuleïo.

Tertull. de Pallio: *Audaciam & Graciam nominis*, pro *audaciam egregiam nominis*. Ut legit ibi Latinus & Latinius ævi noſtri decus Franciſcus Junius.

Redivivus, in Juvenali. Correxi: *recidivus*.

IN FINE.

Symmachus : *Moris impatiens*, pro *mora.*
Honeſtius, pro *honeſtas.*
Gratiam agens, pro, *gratia magis.*

Corruptus ſæpe finis, quòd ignavus vel etiam properans librarius finem ſequentis dictionis præcedenti adſcripſit. Pœnul. mſ. *Ne quid clàm furtiſſe accepiſſe cenſeas*, pro, *furtive accepiſſe.*

Pars maxima, in mſ. Plaut. pro *par maxime.*

Micdilia, 2. mſ. pro *migdilybs.*

Sedeate in ſubſellis, pro *ſedeant.*

Sic argumento Aſinar. ſcriptum : *Ejus trisrae*, pro *è luſtris rapit.*

Sæpè autem in fine verſûs vel lineæ aliquid depravatum vel adſutum fuit; ut finis ſequentis lineæ; vel aliud quodvis.

Aſinar. extremâ : *Suo animo fecit volup.* Ibi belli illi cuculi ſcripſerant, *voluptatis.* Ut & Menæch. *Ut tibi ex me ſit voluptas.* Quum verum ſit *volup.*

Sic Capteiv. *Ut prædicas.* Camerar. mſ. *ut prædiciſti.* Langian. *ut prædixiſti.*

Ita, *donec cum*, in Plauto ſcriptum, pro *donicum.* Ciſtell. in Langian.

Eam ipſi, pro *eampſe.* fere ſicut illud Amphit. corruptum fuerat : *Similem rem ipſe*, pro *ſirempſe.* Forte ſimiliter legendum fuerit Moſtellar. act. 1. ſc. ultima : *Sic ſine eumpſe.* Ph. *Age tu.* Nam in mſ.2. *Sic ſine eum ipſe. age tu.* Vulgo : *Sine eum quieſcere. age tu.* Menæch. act. 1. ſc. 2. *Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore inlutibili.* Legendum, & 2. mſſ. & metri legibus ita volentibus : *odore inlucido.* ut ſit trochaicus. Milit. act. 1. ſc. 3.

Hinc diſſimulavero, mſ. 2. pro *huic diſſimulando.*

Mercat.

Mercat *In otium te colloces dum poteſtur : id jam lucro eſt.* MS. *dum potes verſidiam , lucro eſt.*

Quicquid. Lang. pro *quicque.*

VERBA OMISSA.

Quæ integra ſæpe verba omiſſa fuerunt, vix eſt ut vel ſagaciſſimi hominis conjecturâ reprehenſa reſtituantur. Quare heic cumprimis ad manuſcriptos libros recurrendum eſt. Quædam tamen facile eſt reperire ei , qui paullo ſit ingenioſior , ſi quæ propter ſimilitudinem vicinarum literarum forte latuerunt. Ut in Symmacho : *Sed ſimile* , pro *ſed ſi ſimile.*

Sponſorem nititur. ibidem. Puto, ut ſuprà de Omiſſis ſyllabis dixi , ſcriptum antiquitus : *ſponſorEM nititur.* id eſt , *ſponſore me nititur.*

Sa temporis. ibidem. Puto , *Sa Temporis* , pro *ſat te temporis.* ut *meTu iri* , in Pandectis , pro , *me tutu iri.*

Erga erigentis , in Symmacho , pro *erga te frigentis.* Mercat. ſcriptum : *Vacuum eſſe iſtac atate diis decebat noxiis.* Correxi : *iſtac atate te diis.* Sic ſuprà,loco Salluſtii : *Magis extollere* , repoſui : *magis ſe extollere.*

VERBA SUPERVACUA.

Quò & gloſſæ pertinent.

Verbum ſæpe otioſum eſt natum ex repetitione vicinorum. Ut apud Symmachum : *Officiorum vitiorum modum.* Heic τὸ *vitiorum* vacat.

Cuſa à ſaturno , pro , *cuſa torno.*

Sic , Sticho fere extremâ. *Proſtibili eſt autem ſtantem*

ſtanti

ſtanti ſavium dare amicum amicæ. Euge euge ſic furi datur. In 2. mſ. *Proſtibileſtandem ſtantem ſtanti ſavium.* Lego: *Proſtibile eſt, ſtantem ſtanti ſavium dare, amicum amicæ.* &c. Sic numeris & pedibus ſuis conſiſtet verſus. Illud autem, *tandem*, eſt repetitum ex *ſtantem. Proſtibilis* itaque eſt adjectivum, id eſt, vile & proſtibulis conveniens. Sic Trinum. 2. mſ. *Sed civi immuni immunifico ſcis quid cantari ſolet?* Illud, *immuni*, delendum eſt. Sic in Symmacho: *Ut hoc nihil mihi lætitiæ fuit.* Tò *nihil* deleri debet, tamquam factum ex *mihi*, cui principialis ſequentis verbi litera adhæſit.

In, ſæpiſſime inculcatum, ſæpe dixi. Sic mſ. Camer. Plaut. *Mihi in cordi eſt*, pro, *mihi cordi eſt*. Et Lang. mſ. *opus erit in promptu.*

Sæpe etiam verbum in lineam præcedentem venit, quod ſtatim in lineâ ſequenti legeretur. Nempe librarius errans ex unâ lineâ alteram inſpexit. Sæpiùs autem factum hoc in principio & fine verſuum. Sic Menæch. Act. 5. ſc. 2. in 2. mſ.

> Atque ob iſtanc induſtriam, etiam faxo amabit ampliùs.
> MV. Atque ibi potat &c. ——

Verſu priore *tò Atque* delendum eſt. nam ex ſequenti verſu irrepſit. Sic Perſâ ſc. 2. in mſ.

> Neque edacitate eos quiſquam poterat vincere.
> Neque his cognomentum erat duris capitonibus.

Verſu poſteriore perperam repetitum eſt illud *Neque* ex principio præcedentis verſus.

De GLOSSIS hoc tenendum; bellos illos librarios ſuperiorum ſæculorum, quæcumque vel ad oram & in margine libri alicujus, vel ſupra lineam, explanationis loco, adſcripta (hæ enim dicuntur gloſſæ vel gloſſemata) repererunt, ſimul in contextum recepiſſe, ſæpe etiam, quod gloſſemata

illa meliùs intelligerent; veteri & genuinâ ſcripturâ expulſâ. Et hæ cum curâ legentibus hominibus ingenioſis facilè ſe prodere conſuerunt. Veriſimil. lib. 2. cap. 10. inſignem gloſſam ex Nepote ſuſtuli. Sic Aulul. *Ut iſtuc, quod me oras, impetratum ab eo auferam.* Prior verſus eſt totus delendus. Eſt enim gloſſema ineptiſſimum. Impetratum auferre, idem eſt quod, efficere. Sic in Mil. Glor. quum in MSC. Camer. rectiſſime ſcriptum ſit, *ut tu ipſe me dixiſſe delices:* in omnibus tamen libb. editis legas, *dictites.* Quod gloſſema eſſe, nemo non accredet Rittershuſio meo. Eſt enim delicare, ſeu dedicare, idem quod, dicere ſeu dictitare. Sic Turpilius Philopatro, ut quidem ego lego & interpungo:

—— Ecce autem tuo more videris mihi
Aegre id pati, quia hos dies compluſculos
Intercapedo ſumpti faciundi fuit.

Nam 1. verſu vulgant: *Tuo more uti ſoles videris mihi.* Quod profectò gloſſam reſipit. Sic apud Nonium, in verbo *Vitulantes*, quum legitur: *Dictum à bona vita commodo: ſicuti, qui nunc eſt in ſummâ lætitiâ, vivere eum dicimus* &c. Nollem, magnum virum ſcripſiſſe: *à bove vita commodo.* Et, ò bovem Nonium, ſi ſic reliquit! Et, ò me plus quàm bovem, ſi Lipſio, ſic ſcripſiſſe Nonium, accredam! Quî enim ſequentia coherebunt? Scribo: *Dictum à bonâ vitâ; quomodo qui nunc eſt in ſummâ lætitiâ* &c. Tò *ſicut* eſt explicatio, quam aliquis indoctus ſuper vocem *quomodo* adnotarat. Et hæc emendatio adeò eſt certa, ut, contrà ſi quis ſentiat, nihil ſentiat.

Pſeudol. in duobus libris ſcriptum: *Si occaſionem ceperit capſit, quî ſiet malus.* Tò *ceperit* eſt gloſſema.

Pœnul. *Quem apud penes ſpes vitæ ſunt.* Ita ſecund. manuſcrip. Tò *apud*, gloſſatoris eſt.

Verba

Verba conjungenda, quæ perperam disjuncta: & disjungenda, quæ pravè conjuncta fuerant.

Sæpiſſime comperi, ultimam vel ultimas dictionis præcedentis duas literas ſequenti adhæſiſſe. Cujus exempla ſuperiùs in literis abſorptis.

Si &, in Symmacho, pro *ſiet.*

Exſpectatio Neviciſſim, pro, *exſpectatione viciſſim.*

Solo cifilo, pro, *ſoloci filo.* ut vir magnus odoratus eſt. abſque quo fuiſſet, ego homo ſtupidus tam præclaram & ingenioſam lectionem *Soloci filo* pro, *ſolo cifilo*, numquam reperiſſem. Quare meritò ſum plagii accuſandus, qui hanc non ipſi, ſed libro ejus, emendationem acceptam tuli.

Abſumam & uſus cenſionis, in eodem libro, pro, *abſum à metu ſuccenſionis.* Amphit.

Ob iſtuc omen ominator. Sambuci liber: *Ob iſtuc à me nominator.* Aſinar. Lang. mſſ.

Quæ illac pro edeſt. pro, *quæ illac præd' eſt.* Aulul.

Sequi uſquam velles. ita mſ. Cam. Unde Rittersh. *ſecius quàm velles.* Milit. ſc. *Jam eſt ante.*

At jube eam ipſe exire huc ad nos. Ex quâ mſ. lectione elicit Ritt. *eampſe exire.* Vulgo, *eam ipſam.* Quæ eſt alterius antiquæ dictionis gloſſa. Sic in Sym *Poti undique volumus.* Correxi: *potiundi quæ volumus.*

Capteiv. in Lang. ſcriptum: *Ne percipias facili memoriâ, meminit à me non.* pro, *Ne præcipias; facilè memoriâ memini tamen.*

Lang. *Audivi di magis.* pro, *haud vidi magis.*

Mſ. *Cam. Inter ibo.* pro, *interibi.*

Obſerva; Si disjunctæ ſunt voces, in fine fere

 aliquid

aliquid eſſe peccatum. *Theodoro medico*, mſ. Camer. pro *Theodoromedi.*

Ciſtell. mſ. Cam. *Neque meas*, pro, *ne quem ames.*

Lang. mſ. *Quot ad me nivi fabricas.* Correxi: *quot admœnivi.*

Epid. mſ. Cam. *Ille gravas telluſque venit.* pro, *ille graviſtellus qui venit.*

Gloria amaritudinis, pro, *gloriam aritudinis.*

Mala caſtra pularias, pro, *malacas crapularias.*

Aliquibus. in Symm. pro, *alii quibus.*

Uxor nemeni. in Catull. pro, *uxorne MenI.*

Omnis ſape. in eodem. pro, *ò nimis.*

Ibid. ſcriptum: *Veniam clare quares.* Corrigit Scaliger: *venanda requirens.*

Mſ. Plaut. *Verorum mirificant.* pro, *vero rumificant.*

Lang. mſ. *Ubi extas commodo.* pro, *ubi ex Tuſco modo.*

Summanus. 2. mſ. pro, *ſub manus.*

Pſeudol. ſc. 1.

Nihil ne adiuvare me audes? PS. *Quid faciam tibi?* CA. *heu.*

PS. *Heu? Id quidem tibi hercle, ne parſis, dabo.*

Ne parſis, id eſt, *ne parcas* plorare & ejulare; ſi Lambinum audiamus. ſed, ſi Pflugianum acumen, legendum diſpeſſis vocibus: *ne par ſis.* id eſt, ut ſat eſſe non queas.

Poſſem huc innumera exempla congerere; ſed verbûm ſapientiſat eſt.

VERBA TRANSPONENDA.

Et heic quicquid peccatum eſt, non tam exſcriptorum indiligentiæ, (qui, quum ex alio libro deſcri-

deſcriberent, properabant, & ſæpe dictionem aliquam ommittebant; mox, quum illam omiſſam viderent, loco non ſuo repoſuerunt. Nam lituras plures vitabant, ut liber emptorem faciliùs inveniret, nullis lituris deformatus.) quàm ſciolorum audaciæ, tribuendum eſt. Multa tibi virorum doctorum libri exempla ſuppeditant. Ego unum heic proponam, ut à me corrigatur. Lucillii verſus eſt apud Nonium: *Mordicus petere aurum & flamma expediat, è cœno cibum.* Corrigo: *Mordicus petere aurum è cœno, ex flammâ expediat cibum.* Nemo non videt, *ex cœno aurum*, eſſe proverbiale; ſicut, *ex flammâ cibum.* Ita Virgilius ex Ennii ſtercore aurum legebat. Videndus Victorius Var. lect. lib. 21. cap. 9. Lampridius in Heliogabali vitâ, ſub initio: *Appellatuſque Antoninus princeps, volentibus cunctis & ſtudioſe credentibus; ut ſunt vota hominum ad credulitatem feſtinantium; quum, quod optant, verum eſſe deſiderant.* Ineptus ſermo: *quod optant, illud deſiderant.* quaſi dicas: *quod optant, illud optant.* Petr. Faber 2. Semeſt. cap. ult. pro *deſiderant* reponit, *exiſtimant*, vel *credunt*, vel *ſibi perſuadent.* Sed nimis licenter. Facilis eſt error, trajectâ primùm literâ; *potant*, id eſt, *putant*, pro *optant*; tum voculâ *quòd*: *quum putant, verum eſſe quod deſiderant.*

DE COMPENDIOSA ſcribendi ratione, ſeu Abbreviationibus.

His non ſolas literas & ſyllabas, ſed integra nonnumquam verba depravata comperio. *Reip.* in Sym. pro *reipublicæ. Placidum*, in Apuleio, pro *perlucidum.* quia ſcriptum: *Plucidum.* Sic in Catullo ſcriptum: *Nimirum hoc eos oſtendit noctifer imber.* Corrigit

Scaliger: *hoceano ſ'.* id eſt, *oceano ſe.* Teſtatur idem, multas ibidem ſynalœphas fuiſſe. Teſtor idem de Plauto. *Fruſtres*, pro, *fruſtr' es*, id eſt, fruſtra es. *Superſediſtis.*, pro, *ſuperſed' iſtis*, id eſt, ſuperſede iſtis.

Milite act. 3. ſc. 3. *datne mulier ab ſe operam?* P. *Lepidus ſum & comus ſum.* Lipſius corrigit: *deſne alia mulieri operam.* Sed profectò ſic vel aliter legas. Verba ſenis de alliis loquuntur, illa de cepis. Puto, ſcriptum fuiſſe: *Lepidiſſam*, &, *comiſſam.* pro, *lepidiſſimam*, &, *comiſſimam.* Quo modo & Rudente, in 2. mſ. *improviſſo*, pro, *improbiſſimo.* Rudent. *Quo nc copia valebit.* Guliel. *noſtra copia.* Alius, *nunc.* Eâd. fab. *Nocte hac verò proximâ.* mſ. 1. *nocte hac, non proximâ.* alt. *nocte hac, nc proximâ.* Puto: *hac nunc proximâ.* Rudente *Addem.* in 2. mſ. pro, *addez*, id eſt, *addecet.* Sticho, act. 3. ſc. 2. 2. mſ. *Num quidem tam gram eſt.* Vulgo: *tam grave eſt.* Ego totum illud lego: *Vocata eſt opera nunc quidem. tam gratia eſt.* GE. *Promitte. Tam*, pro *tamen.* Menæch. *Bene vocas. tam gratia eſt.* Sic ibi recte Gulielmius, adſtipulantibus duobus ſcriptis codicibus. Trinum. *Neque in ſe officium migrat.* Ita 2. mſ. Vulgo: *neque à me off.* Correxi: *neque meum ſe off.* Ita illa *que* & *quam* (quorum illud valet *que*, iſtud *quam*) ſæpe commutata ſunt perperam. Exemplum illuſtre ex Plaut. Mil. obſervavit Rittershuſius, ſc. *Cohibete. Tum ad ſaltandum non cinædus malacus æque ſtat quàm ego.* Ex quo conjecit, legendum, *malacus æque eſt atque ego.* Plura ex optimis manuſcriptis adferre, ſi velim, poſſim. Sed hæc ſola doctum lectorem ad ſimilia obſervanda inſtigare poſſunt.

DIS-

DISSERTATIO
CONRADI RITTERSHUSII, J. C., De Cauſis variantium in auctoribus utriuſque linguæ lectionum.

Ex ipſius in OPPIANUM *Commentario deſcripta.*

COgitanti mihi ſæpiùs, inter conferendum auctores editos vel cum MSC. vel cum aliis editionibus, quæ tandem cauſæ tantam lectionum diſcrepantiam nobis produxiſſent; hæc fere in mentem venerunt, quæ heic ſubjiciam.

Ac primùm quidem, inde eam varietatem extitiſſe, ſuſpicabar, quòd auctores ipſi ſuos libros ſæpiùs ediderint; ita ut hodieque fieri videmus ab iis qui in libris ſcribendis occupantur; &, quia δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι eſſe conſueverunt, ipſosmet quædam immutaſſe, aliaque pro aliis verba ſubſtituiſſe, credibile eſt. Priores autem lectiones, ut quæ jam plurimorum in manibus & noticiâ eſſent, plane extirpare, & revocare, non potuerunt.

Nam ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum. ῥίψας λόγον τις οὐκ ἂν αἱρεῖται πάλιν. Ut ait vetus ſenarius. Quod, ut alibi, ita etiam heic in re librariâ, verum eſt.

Altera cauſa poſita eſſe videbatur in librariorum, qui ex librorum deſcriptione victum ſibi quærebant, inſcitiâ ruditateque, vel etiam incôgitantiâ: quòd vel non intelligerent quæ ſcriberent, & ita

ſæpe nobis monſtra verborum, trajectis pertubatisque vel literis vel ſyllabis vel dictionibus, procuderent: vel quòd, etiam intelligentibus, ſæpe (ita ut fit) manus mentem in ſcribendo præcurreret; quódque ſemel ſcripta, vitandæ cauſâ deformitatis, & ne quid pretio librorum decederet, delere nollent.

Tertiam cauſam, vel potiùs culpam, confero in quoſdam ſciolos & Pſeudocriticos, qui, quum ingenii ſui acumen in alienis operibus recenſendis oſtentare vellent, ſæpe adnotarunt, quid meliùs ab auctore dici potuiſſe videretur: quum fortaſſe χάλκεα ἀντὶ χρυσείων ſubſtituerent, ea certe in auctores intruſerunt, quæ numquam ipſis in mentem venerunt. Quo in genere ſunt Ludorum magiſtri, verbum verbo permutantes in interpretatione ad diſcipulos, & Pædagogici judicii homines: in quos ſæpe graviſſime, ſed & meritiſſime, invehitur Princeps literarum Joſephus Scaliger.

Quarta cauſa eſt à Scholiis & Notis. Nam, quum plerique auctores claſſici, qui vulgo omnium manibus terebantur, ſuos nacti eſſent Scholiaſtas atque interpretes, qui unumquodque pæne verbum verbo commutarent altero, idque aut inter lineas, aut ad oras librorum adſcriberent: hinc factum eſt, ut ſæpe Scholion, ſeu gloſſema, γνήσιον ac proprium auctoris verbum ſuo loco extruſerit, eique ſubrepſerit. Id quod infinitis adeò exemplis, ſi res obſcura eſſet, demonſtrare poſſem.

Quintam reperio cauſam in illâ ipſâ omnium rerum domitrice vetuſtate; in ſitu & ſqualore librorum MSC., & vinctorum in ergaſtulis, ut ſic dicam, librariis, imò ſepultorum in βιβλιοταφείοις, datisque in cibum blattis, tineis & muribus: quæ omnia, vel fugientes atque evanidas ſcripturas nobis effecerunt, vel aliquot verba corroſerunt atque truncarunt, pro quibus alii alia ſubſtituerunt, qui

in

in ejuſmodi libros inciderunt, ac formis eos deſcribendos ſuſceperunt.

Quamquam autem ab exercitatioribus in hac arte, & ingenio præditis acutiore, cauſæ excogitari atque adferri poterunt plures: tamen, niſi fallor, iſtæ, quas jam commemoravi, ſunt potiſſimæ ac præcipuæ.

Non deerunt fortaſſis, qui ſic exiſtimabunt, Non omnem aberrantem hallucinantemve ac vitioſam ſcripturam attendi vel adnotari in auctorum editione debere; ſicut Philoſophus, in Ethic., non omnes τυχόντων καὶ τῶν πολλῶν opiniones, de vitâ beatâ, dignas refutatione cenſet. A quibus mihi paullulùm diſſentire liceat; qui ne quidem manifeſte falſas lectiones omnino inſuper habendas Critico arbitror. Ea res hanc, opinor, utilitatem habet, ut, animadverſâ librariorum conſuetudine aberrandi, faciliùs errata aliarum lectionum, quæ nobis forte probæ videbantur, qùum ſint nothæ, deprehendantur: non aliter, quàm medicus olim attendere ſolet rationem victûs, quâ ægrotus uti ſolitus ſit, etiamſi diæta manifeſte prava ſit: ut comparatione utar elegantiſſimi Mureti. Deinde & hoc ex eâ annotatione diſcemus, Non ſtatim pro verâ quamlibet lectionem recipiendam eſſe, dummodo in libro ſcripto quantumvis antiquo reperiatur: ſed judicio accurato, & diligenti circumſpectione, utendum eſſe, quid auctore dignum cive conſuetum eſſe videas: odorandiſque veſtigiis etiam falſarum lectionum paullatim ad cubilia verarum penetrandum.

CASPARIS SCIOPPII, FRANCI,

DE

COMPENDIOSA
Linguæ Latinæ exactiùs cognoſcendæ ratione Epiſtola.

Ad

HENRICUM BOCKIUM, BORUSSUM, JCtvm.

QUæris, non tam in tuum, quàm aliorum uſum, quam ego commodisſimam, homini in primis Germano, & maxime compendioſam, ſtudendi in Latino ſermone viam exiſtimem. Puto, non illud te exſpectare, ut heic veram illam rationem, quæ, quum unam eſſe oporteat, non eadem omnibus eruditis videri ſolet, exponam. Quare, quum ad eundem locum plures non eâdem viâ, alius nimirum altero citiùs, pervenire posſint: exiſtimo, quam ego ſubjicio rationem, ſi non omnium proximam, at minùs tamen, quàm trita illa & vulgata ſit, longinquam eſſe.

Requiro igitur, ut adoleſcens non magnam Logices & Rhetorices cognitionem, ex clasſicis illis (ut vocant) & trivialibus ſcholis, ſecum adferat: Græcæ autem & Latinæ linguæ paullo diligentiùs à præceptoribus adſuefactus fuerit: quùm in Academiis, maximè Germanicis, fere, non niſi ipſarum

diſcipli-

diſciplinarum ſive rerum, minima certe linguarum, cura à Profeſſoribus haberi ſoleat. Quodſi quis (ut nimis ſæpe, cum irreparabili juventutis damno, fieri videmus) eâ in re à præceptoribus ſuis neglectus forte fuerit; ut damnum illud quodammodo tamen compenſetur; ſuaſerim ei, ut Syntaxin Latinam Nicod. Friſchlini, omnium illam brevisſimam, ſummoque cum judicio & accuratione perfectam, memoriæ ſuæ penitus infigat, totamque animo comprehendat, & ſuum in ſtylo exercitium (quod omnino cottidianum eſſe debet) ſecundum canones illius, ad exempla optimorum ſcriptorum iſtic adlata, componat, examinet & corrigat. Comparabit etiam Antonii Schori phraſes linguæ Latinæ, ſæpiùs in Germaniâ recuſas; in iiſque ediſcendis plurimum ſtudii operæque ponet; phraſesque, ex ſolo Cicerone in librum illum, non niſi laudatisſimo labore, collatas, cottidiano exercitio imitabitur. Quam ad rem utilisſimum foret, ſi quis Typographorum librum illum, ut à me recognitus, & ad optimam brevitatem redactus fuit, evulgaret.

Statim ad legendas Epiſtolas Ciceronis (quæ, contrà quàm erro iſte Ericcus Lipſiomaſtix nobis perſuadere voluit, vero & germano nomine Familiares dicuntur) accinget ſeſe, eaſque ſibi quoque quàm familiarisſimas reddere conabitur. Quo illud tamdem non dubie conſequetur, ut & minori labore inventiones Epiſtolicas literis ſuis adhibere, & in ceteris quoque ſcribendi generibus numerum Ciceronianum, & verborum ſive integræ potiùs periodi compoſitionem, de quâ infrà dicam pluribus, imitari posſit. Cur autem huic ætati Epiſtolæ ad Atticum abhorrendæ ſint, cauſas exponere complures posſim: ſed omnes, præter ætatem, adfectatam in iis à Cicerone obſcuritatem; in quibus inge-

ingenue fateor me nihil intellegere: nedum illi intellegant, qui, quòd operam meam in ruditate & barbarie ipſorum expugnandâ ipſis negaſſem, me, meiſque ſermonibus, apud adverſarios meos proditis, quippe indignis & novis inſuper mendaciis cumulatis, inclareſcere voluerunt.

Epiſtolas autem Ciceronianas velim excipiat Plauti lectio, ob nativam illam, quæ in fabulis illius elucet, verborum proprietatem. Utetur editione Jani Douzæ, à Raphelengio Lugduni Batavorum in ſedenis accuratâ: curabitque, ut glutinator librorum, ſive compactor, alternis paginam chartæ puræ interſerat. Lambini Commentarios, Genevæ in quaternis excuſos, alicunde commodato ſumet, ſi nolit emere; & difficiliorum tantùm locorum, præſertim jocorum, explanationem memoriæ cauſâ in paginam illam puram conjiciet. Phraſes quoque inſigniores, (nam rancida illa & caſca, adde jocoſe & riſûs captandi cauſſâ conficta, nemo ſanus facilè ævo noſtro imitabitur,) & verborum proprietates, in Adverſariola referet. Quia verò Lambinus nusquam, atque in eo Comico, minore fuit uſus judicio; Lipſii opera Critica, à Raphelengio in octonis nuper conjunctim edita, præcipue verò Antiquas ejus lectiones, adhibebit; & Jani Gulielmii Plautinarum quæſtionum commentarios, Lutetiæ in octonis vulgatos; & meos fortaſſe Suſpectarum Lectionum libros, Noribergæ editos. Et quæ ibi aliter, quàm Lambinus fecerit, vel correcta vel explanata viderit, in eamdem chartam puram inſcribet.

Plautum ſequatur Terentius cum Donati commentariis. Is enim pleraque omnia ex Plauto mutuatus eſt. Leget autem illum ſtudioſus linguæ ita, ut de Plauto diximus. Comparabit autem ſibi editionem Lipſicam, à M. Bergio procuratam.

Poſtilla

Poſtilla Lucretium cum Indice Oberti Giphanii, nuper in octonis Lugduni Batavorum recuſum, ſibi comparare, maxime verò Indicem Giphanii longe doctiſſimum & inſtructiſſimum, legere diligenter debet: unde non facile mihi quiſquam credet, quantum Lector profecturus ſit. Et verò ſemel (ut cum Lambino dicam) ſciat lector: neminem in totâ linguâ Latinâ Lucretio Latine meliùs eſſe locutum: non M. Tullii, non Caii Cæſaris, orationem eſſe puriorem.

Cui quum per omnia ſimilis ſit Catullus, merito ejus lectionem ſubjungo. Utêris autem Catullo, à Scaligero recenſito; cui adjunctæ Scaligeri, Mureti & Achillis Statii commentationes.

Unum addat ſtudioſus, Græciſſantem quamvis, Horatium, cum Commentariis ſive Lambini, Francofurti, ſive Cruquii, Antverpiæ, & nuper Lugduni Batavorum, editis; niſi forte nimis ad attingendum jus civile, ut ſolent noſtrates, aliasve ſcientias, properet.

Quem ubi quis legit; non prohibeam, quin audacter Juris ſtudio ſe dedat, eâtenus, ut ad Ciceronem noſtrum certis horis redeat, ſicque exiſtimet, nunc demum iis ſe adminiculis inſtructum eſſe, quæ non ad Juris ſolum cognitionem, ſed & Ciceronis accuratiorem lectionem, requirantur. Interea, dum Jani Gulielmii Cicero totus prodibit, utetur editione Francofurtinâ, à Wechelianis anno XCIII in octonis procuratâ: vel Manuccianâ in folio, cum Manucciorum in totum Ciceronem commentariis; quæ Venetiis nuper prodierunt. Quâ quis ratione in legendo Cicerone uti debeat, ſatis ab Antonio Schoro, in præfatione phraſibus linguæ Latinæ præmiſſâ, demonſtratum eſt. Ad eam itaque lectorem remitto. Illud tamen non poſſum, quin diligenter animis ſtudioſorum inſtillem, ut in lectione Cicero-

Ciceronis ſtudioſe, cùm vim verborum ſimplicium inveſtigent, eruant, erutaſque in librum obſervationum referant, tum compoſitionem & numeros à Cicerone tamquam perfectiſſimo Oratore frequentatos obſervent. Liber ille, quem dixi, ſecundum Alphabeti ordinem, ſive literarum, confici debet: in eumque referri cùm omnes phraſes inſigniores & abſtruſiores, tum vel maxime vocabula, quæ notionem vel ſignificationem aliquam minùs uſitatam vel notam habere videntur. Quam notionem ut eruere poſſis, nunquam in lectione progredieris, niſi locum, in quo es, probe intellexeris. Si intellegas; videndum erit, num vis aliqua vel ſignificatio minùs trita alicui ejus periodi verbo inhæreat. Quod quidem quatuor notis, indicatis à Schoro, indagabis.

1. Rebus quibus tribuuntur. Ut; *Annalis* ſolùm *Legi* à Cicerone jungitur. *Amœnitas* tantùm ſuavitatem, & voluptatem notat locorum. ap. Cicer. *Aegrotatio* de corpore & animo: *Aegritudo* tantùm de animo dicitur.

2. Contrariis, ſive quibus opponuntur. Ut; *Promptus* opponitur *Tecto*. à Cicerone. Quare *promtus* idem eſt quod *apertus*, in aperto poſitus, ut ab omnibus videri poſſit. Talia itaque in librum Obſervationum referentur. Plura apud Schorum.

3. Conjunctis, ſive appoſitis, ac finitimis. Ut; Cic. 2. de Offic. dicit, rem familiarem conſervari parſimoniâ & diligentiâ; iiſdem rebus etiam augeri. Quia video, parſimoniam & diligentiam eſſe conjuncta; ſcribo in librum Obſervationum, (in literâ D;) *Diligentia idem videtur valere Ciceroni, quod Parſimonia, & cura rei familiaris.* ut 2. de off. &c. Jam autem vellem, ut alterum etiam haberem locum, ubi eadem notio eſſet hujus vocis. Quæro igitur in Theſauro Ciceroniano, quem Carolus

Stepha-

Stephanus edidit, vel etiam in Nizolio, & in verbo *Diligens*, vel *Diligentia*, an non adſit aliquod exemplum ejuſdem notionis. Invenio ibi locum ex 4. ad Herenn. *Si quis hominem prodigum & luxurioſum, illudens*, (id eſt, per Ironiam,) *parcum & diligentem appellet* &c. Heic video, parcum & diligentem eſſe conjuncta, & luxurioſo opponi diligentem. Ex quibus duabus notis video, quòd *diligens* idem ſit quod *parcus*. Quare hoc ſcribo in libro Obſervationum.

4. Iis quibus explanantur. Adducit Schorus locum ex Tuſcul. *Quum ſit æmulantis, angi alieno bono, quod ipſe non habeat: obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat: hinc videas, quæ ſit horum vis verborum.* Plura Schorus.

Atque hæc de verbis ipſis admonuiſſe ſufficiat. De compoſitione & numeris oratoriis multos & longos locos præcîdo: quòd quivis ex aſſiduâ Ciceronis lectione & aurium judicio facilè, quæ aſpera, quæ hiulca ſint, poſſit animadvertere. Illud meminerit lector, omnibus ſæculis fuiſſe deriſos, qui ullam compoſitionem Ciceronianâ mallent: &, placiturum ſe aliis, ſi compoſitio Ciceroniana ſibi placuerit, ipſeque ad Ciceronis exemplum orationem ſuam, tametſi verba omnia Ciceronis non ſint, conformare ſtuduerit. Atque hic meus ſemper fuit animus, hoc judicium: ut videas, quàm fruſtra fuerit perſonatus quidam Dialogiſta, qui nunc nuper, in Lexiphane ſuo Lucianico, adverſarium ſibi finxit, (cum larvis præliabundus ſcilicet,) & Ciceronis defenſionem ſuſcipit, quem nemo tamen damnare voluit: inſigne mœſtis præſidium reis, ſi Dîs placet. Quem nos, tametſi ſub perſonâ & larvâ deliteſcentem, aurium quippe ex pelle leoninâ eminentium indicio non ignoramus, & cujus faſtum arrogantiamque, quâ

ipſum

ipſum non pudet, in ſupremâ & vetuſtiſſimâ Germaniæ Academiâ, novas ſuas quiſquilias & Dialogos (quos ſine rivali ipſus deperit) veterum ſapientiſſimis ſcriptis præferre, & de loco ſuperiore novo exemplo ſtudioſis recitare, aliquando retundemus. Si tamen orationem ejus aliquam pellegeris, advertes, Ciceronem, præ omnibus, his potiſſimùm numeris mediam & extremam periodum concludere ſolere. Primus, - v v / v - v. Ut in *pro Milone: Negant, intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur.* - v v v - v. Sed obſerva, ultimam ſyllabam & longam & brevem in omnibus numeris eſſe poſſe. Nec oportet, ut ſint integra vocabula, modò ſex poſtremæ ſyllabæ tales ſint. Ut ſi talis ſit periodi finis: *eludere ſolere.* -v v v-v. Secundus, v-/-v/-v/. Interdum tantùm dichoræus: - v / - v. Qui numerus in principio orationis pro Milone eſt unus frequentiſſimus. Ut ſtatim initio: *Etſi vereor, judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere.* v - - v - v. Et ſtatim: *Qui, quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum, requi*runt. v - - v - v. Sic enim ibi legunt libri veteres & Quinctilianus. ubi vulgo peſſime: *minime vident*, pro, *requirunt.* Et ſtatim: *Non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat.* v - - v - v. Exempla & ibi & alibi compluria reperies. Tertius, - v / - - / v -. Ut in exordio Miloniano: *Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis.* - v - - v - Nam ultima, ut dixi, eſt anceps. Potes hunc numerum ſic diſtinguere: - v - / - v -. Ut ſint duo Cretici. Ibid. *Quos undique intuentes ex hoc ipſo loco cernitis.* - v - - v - Quartus, - -/- v -. Spondæus, & Creticus. Ut in Milonianâ: *Non uſitatâ frequentiâ ſtipati ſumus.* -- vv. Ibid. *De patriâ & fortunis hodierno die decertari putat.* -- v -. Et ſtatim: *Quamobrem adeſte animis, judices, & timorem, ſi quem habetis, deponite.*
-- vv Ibid.

--- vv. Ibid. *Quid magis ſolicitum, magis exercitum, dici aut fingi poteſt? --- v-* Quinctus, talis vel ſimilis eſt. --/-v. Qui numerus ſæpiùs occurrit, & ex meris longis ſyllabis quinque conſtat. Exempla paſſim reperiet lector induſtrius, & ſic à nobis admonitus.

Atque ita habes, eruditiſſime Bocki, quæ ego, homo adoleſcens, nec multùm in hoc ſtudio verſatus, adde & à præceptoribus meis peſſime ad hoc factus, de diſcendâ linguâ Latinâ cogitavi. Quæ qualiacunque ſint, ſcio tamen, iis inſtructum ſtudioſum brevi tempore non parum in eâ profecturum linguâ, quam omnes Germani adhuc magis amavimus, quàm didicimus. Nec verò debet juvenis ingenuus, & ad magna ſurgens, rei difficultate ab hoc ſtudio abſterreri: ſiquidem & tempus, quod ad id requiritur, breve eſt; &, ſi non eſſet ſic, tamen videri debet, cum fructu inde ad nos redituro comparatum. Nam & ſummùm elegans & bene Latina oratio laudem apud quosvis, vel ſemidoctos, conciliat; & leges Juris civilis minore negotio, ut pridem Galliæ Juris conſulti docuerunt, intellegi poſſunt. Velim autem, viros doctos, ſi qui hæc legent, & meliora monſtrari poſſe intellegent, ſic exiſtimare, nec mihi alias rationes non fuiſſe cognitas; ſed non niſi hanc, in Germaniâ, in quam pauci boni libri inferantur, iniri potuiſſe. Et ſuper hoc mihi non gravate aſſentientur; Præter dictos à me ſcriptores, omnes alios, qui exſtant, magis ad ſapientiam, quàm eloquentiam, augendam facere; Hiſtoricos quoque, utpote qui ſemipoëticè loquuntur, non niſi cum magno judicio ac dilectu & quaſi timide imitandos eſſe. Bene vale, mi Henrice; & nos ama. Altodorfo, ex Muſeo amici noſtri Melioris Guldinaſti. Prid. Id. IIxbr. anno MDXCVII.

FRANCISCI ROBORTELLI, UTINENSIS,

DE ARTE

Sive ratione corrigendi Antiquorum libros

DISPUTATIO.

ARS hæc corrigendi veteres autores à nullo ante tradita fuit; ſed nunc primùm, à me excogitata, nec temere tamen, verùm bene, & ratione, (ut res ipſa demonſtrabit,) confecta. Multa enim adhuc reſtant, quæ ad certam rationem & artem redigi poſſunt. Atque utinam ego is eſſem, qui poſſem hoc præſtare. In eo enim multum operæ ponerem. Sed efficiam quod potero. Nec patiar, ullâ in re meam à bonis & cupidis diſcendi adoleſcentibus operam deſiderari. Effeci hoc antè & ſæpe. Nam de Hiſtoricâ facultate, de Satyrâ, de Elegiâ, de Epigrammate, quum nullus apte diſſeruiſſet; in iis ego artem conſtituere conatus ſum, ut faciliùs percipi poſſent. Itidem de imitatione, de ratione vertendi, de aliis multis rebus, quum fuit in hoc ipſo loco diſputandum; nihil perturbate, nihil confuſe, eſt à me unquam dictum. Ut jam perſpicere quivis poſſit, non magnarum tantùm rerum, ſed & harum, quæ ad ſermonem ſpectant, artem tradi poſſe.

Sed jam rem ipſam aggredior, de quâ heri polli-

pollicitus fui me diſputaturum. Et explico, quâ ratione poſſint veterum autorum loca corrigi. Neque inutilis ars dici debet; quòd difficile eſt præſtare id, quod arte traditur. Nam, qui intelligit, & perſpicit τὰ καθόλου, quibus ars conſtat, facilè poteſt ad ſuum genus quælibet redigere, & videre, cujuſmodi ſit illud, de quo judicandum eſt. Diceret ergò aliquis, & artem militarem eſſe inutilem, item nauticam, & alias, quæ ſuis præceptionibus conſtant, ob hoc ipſum, quòd facilius eſt, præcepta tradere, quàm ipſâ arte uti. Id quidem minime verum. Nam ars perdiſcenda primùm, atque efficiendum, ut velut quendam habitum animo geras. Quod diuturno uſu, & exercitatione, facilè poteris conſequi. Tum demum arte uti licet.

Finem ſi intuearis artis hujus, quam in præſentiâ tradituri ſumus, dicas eſſe, priſtino nitori veteres reſtituere ſcriptores. Magnam utilitatem afferunt hominibus, qui veterum libros emendant. Quum enim res verbis ſignificentur; rem ſæpe ignores neceſſe eſt, ſi verba corrupta ſint. Ignoratio autem rei quantum damni attulerit, quis eſt qui non videat, in maximis præſertim diſciplinis? Præclara igitur veterum libros corrigendi profeſſio eſt. (Neque enim in omnibus emendandis eſt opera ponenda.) Suo enim nitori quum fuerint reſtituti, faciliùs intelligi poſſunt, & ſæpe dictio una emendata notionem rei alicujus magnæ, quam habemus tectam & involutam, aperit. Sed non quivis id præſtare poteſt; ſed ii tantùm, qui multarum & maximarum rerum diſciplinis fuerint inſtructi. Quare perridiculi noſtra ætate videri poſſunt, qui, quum nullius rei noticiam habeant, profiteri ſe librorum correctores audent, quum tamen corruptores potiùs ſint appellandi. Atque utinam lege aliqua eſſet interdictum, ne omnibus id liceret.

Primùm igitur illud ſtatuamus, in hac noſtrâ arte requiri infinitam quandam eruditionem in eo, qui emendatorem ſe librorum dici cupit. Multa legerit oportet, multa cogitarit, multa audierit, multa triverit uſu, recentiores etiam evolverit. Contingit enim, ſi id non fecerit, ut eadem dicat, & ſcribat, quæ alii; ac nova eſſe putet, quæ ſunt vetera. Ut qui, M. primùm Manium (quod prænomen eſt veterum Rom.) ſignificare, ſe deprehendiſſe ac declaraſſe iactant. Nam P. Conſentius Rom., vir clariſſimus, (Senator enim fuit,) in ſuâ Grammatice de eâ re ita locutus eſt: *Eademque prænomina aut unâ literâ ſignificantur; ut P. aut duabus; ut Cn. & Sp. aut tribus; ut Ser. & Man. id eſt, Manius. quod & M. lineâ ſuperpoſitâ ſcribitur. Idque ipſum à nobis, non etiam à Græcis; obſervatur.* Quæ verba Conſentii ita ſunt intellegenda, ut dicat, Græcos hiſtoricos, ſi quando Manium prænomen ſcriberent, tribus literis Man. ſcribere ſolitos; non M.; ſicuti Romani ſolebant. Quod adhuc obſervari poteſt in Dionis & Dionyſii codicibus. Etſi magnâ etiam ex parte integrum ſcribitur Μάνιος. Ego olim Mimnermi duos verſus protuleram, conferens cum illis Horatianis Ep. lib. 1: *Si, Mimnermus uti cenſet, ſine amore jociſque Nil eſt jucundum, vivas in amore jociſque.* Extitit ſuperiore anno qui eos ſibi vendicaret.

Et, quoniam corrupta autorum loca emendantur aut conjecturâ, aut ex veterum librorum, qui manuſcripti ſunt, aut impreſſi, ſcriptione; de utroque modò nobis eſt dicendum. Ac primùm de manuſcriptis libris. Manu autorum ſcripti antiquorum ſi extarent libri, minùs laboraremus. Quàm emendatiſſime enim illi ſcribebant. Pervæniſſe ii videntur ad manus hominum etiam poſt annos ducentos. Id colliges ex Plin. lib. 13 cap. 12. ſub finem. ubi ait: *Ita ſunt longinqua monumenta Tiberii Caiique, Gracchorum manus,*

manus, quæ apud Pomponium Secundum vatem, civemque clariſſimum, vidi annis fere poſt CC. Jam verò Ciceronis, ac divi Auguſti, Vergiliique, ſæpenumero videmus. Nunc vix auſim dicere, ejus notæ libros ullo loco reperiri, poſt tot ſecula, poſt tot bellorum motus, poſt tot urbium incendia, & ruinas. Extant tamen noſtrâ ætate adhuc Longobardorum libri, qui quàm emendatiſſimi eſſe videntur. Quum enim pacis & ocii alumnæ ſint diſciplinæ, & artes omnes, quæ literis continentur: poſtquam illi abhinc opinor annos DCCC in Italiam væniſſent, imperiumque conſtituiſſent, quod diu uſque ad Carolum Magnum perduravit, qui eos ex Italiâ expulit, victo ipſorum Rege Deſiderio, qui Ticini commorari ſolitus erat: rebus compoſitis, quum ſummum in Italiâ eſſet ocium, excolere ingenium artibus, & diſciplinis, cæperunt. Itaque præclariſſimi quique libri ab illis deſcripti fuerunt. Quorum ego quàm plurimos vidi, nonnullos etiam habeo domi in meâ bibliothecâ repoſitos. Literæ multùm diſſimiles noſtris, ſed quas facilè internoſcas. Mirum dictu, illis eſſe libris nihil emendatius, nihil purius. Eſt & aliud librorum genus manuſcriptorum, qui à noſtris Italis videntur fuiſſe deſcripti. Sæpe appoſitum legas nomen JULII CELSI ſub finem librorum; vel quòd librarius is eſſet, vel dominus potiùs librorum. Hi omnes in membranis deſcripti ſunt, & facilè dignoſcuntur à poſterioris ætatis libris. Illi enim lineas ſuperpoſitas nullas habent, & accurate omnia deſcripta ſunt. Invaluit enim poſtea ſcribendi mos, quo nunc & indocti utuntur, vel occupatiſſimi homines in foro, vos etiam in ſcholis. Ob anguſtiam enim temporis cogimur interdum ita ſcribere. Sicuti Plutarchus in Cæſare refert, à notariis ſummorum virorum excipi ſolitas orationes in curiâ, & foro. Quod à

Cicerone primum excogitatum fuit. Et ego hac de re aliàs copioſe diſſerui. Græcorum autem libri tum membranis deſcripti ſunt, tum alio chartarum genere, quod noſtrati non eſt diſſimile. De chartarum generibus lege Plin. lib. 13. cap. 12. qui ex Varrone narrat, conditâ in Aegypto Alexandriâ, extitiſſe primum chartarum uſum, Alexandri ſcilicet magni temporibus. Antea ſcriptitatum in palmarum foliis, & quarumdam arborum libris. Publica autem monimenta confici ſolita plumbeis voluminibus, mox & privata linteis. De libris linteis ſæpe Livius mentionem facit, papyrum chartæ uſum præbuiſſe, & ex eo præparari ſolitas glutino ſuperpoſito, ſubjectas prælis; & turbidam Nili aquam vim habuiſſe glutini. Quod etiam ſcribit Plutarchus in libro adverſus Colotem Epicurêum. Καὶ πρότερον ἐπιλιπεῖν τὸν Νεῖλον, φέροντα τὰς βίβλους. Ibidem de nominibus ipſarum multa legi poſſunt. Auguſta in epiſtolis. præterea Liviana, Claudia, emporetica, Fanniana, ab officinâ Fannii, qui amphitheatricam recurare ſolebat, & tenuare. Tæniotica, amphitheatrica, à loco confecturæ ita dicta. Varronem refellit Plinius, &, ante Alexandri ætatem chartas in uſu fuiſſe, oſtendit teſtimonio librorum Numæ, qui, Coſſ. Cethego, & Tampilo, reperti ſunt in arcâ, & effoſſi poſt DXXXV annum. Hermogenis vetuſtiſſimum ego librum habeo; cujus chartam ſi ſpectes, craſſitudinem admireris, & levorem, in quo glutinum perſpicitur. Eumenes Pergami Rex membranas primus dicitur inveniſſe, quum bibliothecam pararet, & Ptolemæus Aegypti Rex chartas ſupprimeret. Membranis poſtea uti cæperunt plurimi Romæ, qui elegantiùs ſcribere ſoliti ſunt. Hinc Horatius:

Sic rarò ſcribis, ut toto non quater anno
Membranam poſcas.

Et

Et illa eſt, quam Catullus regiam vocat. *Eradi hæc ſolita interdum ; & Palimpſeſtus dicta, à re ipſa ; nec ut ſit in Palimpſeſto.* ait idem Catullus De Palimpſeſto locus eſt apud Plutarchum, in libro, qui inſcribitur, Ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι χρὴ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι. Εὗρε τὸν Διονύσιον ὥσπερ βιβλίον παλίμψηστον, ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων, καὶ τὴν βαφὴν οὐκ ἀνιέντα τῆς τυραννίδος ἐν πολλῷ χρόνῳ, δευσοποιὸν οὖσαν καὶ δυσέκπλυτον. Ibi de Dionyſio tyranno loquitur, & lituras palimpſeſti cum vitiis illius regis confert, quæ animo adhuc adhæreſcebant, quòd aboleri & eradi non potuiſſent à Platone, qui illum inſtituere conatus erat. Hæc ego de generibus chartarum dicere volui, ut intelligatis omnem illarum uſum, & antiquitatem. Quare perridiculus eſt is, qui nuperrime, editis quibuſdam inſulſi hominis Græci luſibus, Anacreontis odas eſſe ſcribit, hoc utens argumento, quòd in cortice eſſent deſcripti. Ut hac ratione ſcilicet nobis imponeret.

Quantum verò ſit tribuendum antiquis αὐτογράφοις, videte. Refert Athenæus, Ptolemæum Aegypti Regem, qui bibliothecam illam inſignem inſtruxit omni librorum genere, ab Athenienſibus poſtulaſſe ut ſibi αὐτόγραφον Sophoclis darent. Sed, pernegantibus id Athenienſibus, frumentum interdixit Rex, ne ex Aegypto in Atticam exportarent. Ita coacti ſunt Athenienſes, αὐτόγραφον Sophoclis civis ſui ad Regem mittere.

Nunc redeo unde digreſſus fui. Horum librorum auxilio utendum eſt. Quiſquiliæ autem librorum, & nugæ, rejiciendæ. Sunt enim involucris apti ſcombrorum, pleni lituris & inficetiarum, ut Catullus ait. Sunt qui colligant hujuſmodi quiſquilias; ſeque & amicos decipiunt, inſcitiâne dixerim, an calliditate. Caſtigavi ego, & quidem jure, ni fallor, quendam, qui nuper Horatium emendare

fruſtra conatus eſt. Nam, ubi libro tertio odarum ait, ad Faunum ſcribens: *Vacat ocioſo cum bove pagus;* emendat ſic, & legit, *Vacat otioſo cum bove pardus.* quaſi in Italiâ pardi uſpiam ſint. Nam Plinius, lib. 8 cap. 17, in Africâ & Syriâ tantùm naſci ſcribit. Et tamen manuſcriptum, & antiquiſſimum vocat librum, ad ſe Patavio miſſum à quodam Luſitano. Proferat, quæſo, librum ipſum, ut videamus qualis ſit. Vix riſum tenebimus; ſat ſcio. Sunt igitur hæ quiſquiliæ librorum prorſus amandandæ.

Dixi de primo genere emendandi. Altera eſt emendandi ratio. Quæ nititur conjecturâ: vel quum deſtituti ſumus præſidio optimorum librorum; vel quum optimi libri etiam interdum depravati ſunt. Dormitant enim interdum librarii, & errant in ſcribendo. Si deſtituti ſumus, judicio opus eſt magno, auditores. Periculum enim eſt, ne labamur, & conjecturâ nos fallat. Non eſt igitur recedendum longe à veſtigio, quod apparet aliquâ ex parte, veræ lectionis. Exemplum fuerit apud Ciceronem in oratione pro P. Seſtio. Ubi hæc ſunt verba. *Studio literarum ſe ſubitò dedidit, nihil à te juvabantur anagnoſtæ, libelli ſæpe pro vino oppignerabantur.* Sunt qui ex conjecturâ emendant illud *à te* per *Attæ.* Sic: *Nihil Attæ juvabant Anagnoſtæ.* Fuit enim Atta epigrammatum ſcriptor, ut Seſtii anagnoſtes Atta diceretur. Ego ſic: *Nihil te juvabant anagnoſtæ.* Hæ conjecturæ ſunt primi generis. Quibus quantum ſit credendum, videtis. Non enim confirmantur teſtimonio ullo; tantùm metimur illas noſtro ſenſu & ingenio. Eſt tamen interdum firmior in hoc genere conjectura. Ut illa noſtra apud Quintilianum, lib. 8 cap. 2. de perſpicuitate, ſub initium. *ut ille, qui in actione, Ibericas herbas herbaſſe ſe ſolo, nequaquam intellegenter dicebat, niſi, irridens hanc vanitatem, Caſſius Severus, ſpartum illum dicere velle, dixiſſet.* Camerarius adnotat

adnotat locum hunc, & ait: *Herbaſſe* habent pleraque exemplaria. Quod tamen additum, mirum in modum adjuvat loci intellectum. Ego, quid adjuvet, non video. Legendum igitur: *qui in actione, Ibericas herbas æquaſſe ſe ſolo*, &c. Nam Quintilianus agit de iis, qui reformidant omnia verba, quæ ſunt in uſu. *Ibericas herbas* is dicebat; nos *ſpartum*. Et, *æquare ſolo*, quod nos, *recidere*, aut *ſecare*.

Nunc libet heic pauliſper, velut in medio curſu, conſiſtere, & breviter repetere, quæ hactenus dicta ſunt, ut reliqua faciliùs intellegantur. Quum de ratione corrigendi veteres auctores eſſet à nobis inſtituta diſputatio, vellemuſque certam artem ordine vobis de eâ re tradere, ut ad ſuum veluti caput quoddam, & fontem, omnia redigi poſſent; Primùm dictum eſt de fine hujus artis, qui eſt, ut priſtino nitori, & elegantiæ, vetuſti ſcriptores reddantur. Ad hoc autem efficiendum multis adjumentis opus eſſe docuimus. Quorum alia in eo ipſo inſunt, qui profitetur, ſe maculas abſtergere poſſe ex veterum libris. Alia extrà poſita eſſe intellexiſtis. Nam, ingenium habere bene ſubactum & excultum, multis eſſe inſtructum diſciplinis, perlegiſſe antiquos grammaticos, qui veterum loquendi rationem obſervarunt, evolviſſe ipſos autores diligenter, antiquitatis totius notionem habere; interiora hæc ſunt, in animoque ejus ſita, qui hoc profitetur. At, bonam habere librorum copiam antiquorum, ingentem poſſidere chartarum ſupellectilem; extrinſecus hæc poſita ſunt, & copiarum, non virtutis. Nam etiam indoctis & malis hæc ſuppeditare poſſunt. De utroque genere adjumentorum à nobis eſt dictum, & nonnulla etiam additta, quæ propiùs rem ipſam attingunt. Nam illa eſt à nobis primùm facta diſtributio, unde noſtra fluxit diſputatio, & caput artis hujus eſt conſtitutum. Jam verò emendationes, quæ certæ

ſunt, antiquis codicibus confirmantur triplici modo; notione antiquitatis, notione ſcriptionis antiquæ, notione locutionum, & verborum antiquorum. Nam totidem etiam corrumpuntur modis; ignoratione ſcilicet antiquitatis, ignoratione ſcriptionis veterum, ignoratione locutionum, ac verborum.

Ignoratione antiquitatis; ut apud Ciceronem in Epiſt. ad Atticum, lib. 6 *Cælius libertum ad me miſit, & literas accurate ſcriptas de civitatibus.* Multi *cibyratibus* emendant; nec intelligunt, ibi Ciceronem loqui de ædiliciorum illo vectigali, de quo in lib. Ep. ad Q. Fratrem Epiſt. 1. eſt facta mentio. Ubi ait; *Queritur, te, quòd edixeris ne ad ludos pecunia decernerentur*, HS CC *ſibi eripuiſſe.* Notione antiquitatis corrigi poteſt, & reponi vera lectio. Apud Sex. Pompeium. *vici Jugarii.* Ubi *vitiligari* corrupte legitur. Locum vide, ubi de Servilio lacu loquitur. item in dictione *Jugarius vicus*; ut docte poſtea animadverti adnotaſſe Petrum Victorium, lib. 22. cap. 21, & emendatum in lib. Varronis, edito Romæ ab eruditiſſimo & ampliſſimo viro Antonio Auguſtino Sed de vico Jugario lege apud Livium, lib. 4. ſecundi belli Punici. Notione locutionum, ac verborum antiquorum; ut jam diu nos emendavimus apud Catullum in comâ Berenices. *Anne bonum oblita es facinus, quòd regium adepta es conjugium, quòd non fortior aut ſit alis.* Pro, *aliis.* Nam, *alis*, *alid*, dicebant veteres. Et, *auſit*, pro *audeat.*

Ignoratione rationis veterum, in ſcribendo labi aliquis poteſt. Ut lapſus eſt Sigonius; qui putat, apud Livium ubique legendum, *Cruſtomerium, Cruſtomerinos*, (Attendite, quia inquit, apud Halicarnaſſ. Κρουστομέριον & Κρουστομερινοὺς, video ſemper ſcribi. Imperitus hic ignorat, Græcos certam ratio-

rationem ſecutos in dictionibus Rom. vertendis. Longum eſſet ſi ſingula nunc vellem perſequi. Sed quatenus ad rem propoſitam ſpectat, quotieſcunque erat Latina dictio vertenda in Græcam, quæ literam haberet *u* longum, vertebant in *ου*. Si autem *u* breve fuiſſet, in *ὁ μικρόν*. Hinc videas apud eundem, Ῥοτόλους dici Rutulos, Κοριατίους Curiatios. Quòd autem in Cruſtumerii nomine *u* ſit breve, Virgilii teſtimonio probatur. Ait enim: *Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Antumnæ.* Et Νομᾶς, *Numa.* Vergilius idem, libro IX. *Serranoque, Numâque.*

Etiam ignoratione notionis veterum in ſcribendo ſæpe peccarunt librarii. Quare tali notione poſſunt loca emendari quàm plurima. Ut quum ego illud ex Aſconio erratum ſuſtuli, in oratione in competitores, pag. 66. *Piſo autem, quum hæc dicerentur, perierat in Hiſpaniâ, miſſus à Senatu per honorem legationis, ut avus ſuus ablegaretur.* Hæc verba perturbata erant. Quum igitur ſcirem, hunc ab urbe fuiſſe ablegatum per ſpeciem legationis; (nam etiam Saluſtius rem narrat;) deprehendi erratum librarii, ſic. Veteres ſcribebant, *ab ur.* pro, *ab urbe.* Id non intelligens librarius, *ab us* ſcripſit. Alius, *avus,* putans, aliquid deeſſe. Alius, *avus ſuus.*

Ignoratione etiam locutionum, & vetuſti ſermonis, peccari ſolet. Ut apud Livium in Epit. lib. LVIII. Ubi de agrariâ lege à Gracchis latâ loquitur. Sigonius locum, ſe corrigere putans, depravavit. Verba ſunt hæc Livii: *Quoniam eos ad cupiditatem amplam modò ſperandi incitaverat, legem ſe promulgaturum oſtendit.* Nam eſt legendum: *amplum modum.* *Modus* enim de agris dicitur, ut menſura. Horatius: *Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus.* Et Plin. lib. XVIII. cap. 2: *Bina tum jugera pop. Rom. ſatis erant, nullumque majorem modum attribuit.*

Idem

Idem cap. VI. *Modus hic probatur, ut neque fundus villam,neque villa fundum quærat.* Et Liv. lib. VI. ab ur. con. *latam legem de modo agrorum.* Ignoratione etiam vetuſti verbi erat corruptus ille locus apud Catullũ, in Aty. *Ferus lis.* pro,*leo.* Nam etiam Theocritus λὶς *pro leone* protulit. Quod eſt à Victorio adnotatum.

Quodſi emendationes certæ non ſint in antiquis libris,& ex conjecturâ fiant;octo modis fieri neceſſe eſt : Additione,Ablatione,Tranſpoſitione,Extenſione, Contractione , Diſtinctione , Copulatione, Mutatione.

Si mutatione (qui ultimus eſt modus) fit; accentu fiat neceſſe eſt: & accentu quidem vel puncti,vel literarum,vel dictionum. Si literarum ; vel unius , vel plurium. Si dictionum;vel unius,vel plurium.Nunc ſingulis modis ſua apponemus exempla, ut res ipſa intellegi poſſit.

Additione puncti corriguntur loca depravata ; ut nos lib. 2. Annotationum emendavimus,vel illuſtravimus potiùs,Horatii verſus illos, qui confuſam antè,nec certam habebant ſententiam. Quis deſiderio ſit pudor, aut modus,tam cari capitis ? ADDITIONE dictionis unius corrigi debet locus ille:qui corruptus eſt apud Plutarchum in Ciceronis vitâ.Ubi de Verris nomine loquitur. Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι. Nam addi debet μὲν, vel οὐκ. Additione etiam unius dictionis τοῦ correctus olim à me fuit locus apud eundẽ,in vitâ Pauli Aemylii. Ubi ait ſub initium, τὸν μὲν πρεσβούτερον ἀπὸ Μαξίμου Φαβίου, ibi eſt legendum, interpoſito articulo τοῦ, ſic,ἀπὸ Μαξίμου τοῦ Φαβίου πεμπτάκις ὑπατεύσαντος. De quo loco, quia eleganter & docte diſſeruit vir eruditus & optimus, Antonius Bendinellus,Lucenſis,in ſuo libello de vitâ Scipionis , mihique pro ſuâ humanitate correctionem hujus loci acceptam tulit , plura non dicam. Satis enim patet , illum adoptatum fuiſſe à Fabio Maximi illius Fabii filio. *Abla-*

Ablatione (qui ſecundus modus eſt) dictionis corrigitur locus iſle depravatus apud Cic. in oratore, non longe ab initio: *Ut igitur in formis, ac figuris, eſt aliquid perfectum, cujus ad cogitatam ſpeciem referuntur ea, quæ ſub oculos ipſa non cadunt.* Debet enim tolli vocula *non.* Alioque ſententia inanis & falſa fuerit, ut quivis cognoſcere poteſt. Animadverti, locum hunc à Perionio ante multos annos fuiſſe emendatum. Quare illi ſua laus tribuenda. Itidem ablatione dictionis corrigitur locus apud Plin. lib. x cap. xxxvii. Ubi loquitur de cognominibus Romanorum ductis à naribus. Et ait: *Hinc cognomina Simorum, Simonum, Silorum.* Nimirum *Silorum* eſt legendum. *Simonum*, & *Silonum*, ac *Simorum* vocabula, deleri debent, ac tolli. Inducta enim fuerunt ex gloſſemate, (ut nunc vocant,) & addita à librariis imperitis, qui, quum eſſet ſcriptum *Silorum*, non intelligentes, Silos dici ſolitos eos, qui repandis eſſent naribus: ibi, SIMORUM emendarunt, locum corrumpentes. Mox alii, quum ſatis eam emendationem non probarent, ſcripſerunt *Simonum*, & *Silonum.* Quæ dictiones poſtea omnes in contextum irrepſerunt. Quare reprehendendus eſt Sigonius, qui in lib. de nominibus Ro. cap. 26, quod inſcribitur à corporis partibus, ſtatuit, Silos, & Simos à naſo dici. Atque de Simis quum afferre vult teſtimonium, citat Plin. lib. 11 cap. 37. Ubi leguntur verba illa, quæ ego ſuperiùs adſcripſi. Certe Simos nullus veterum, qui Latine locuti ſunt, protulit, ut cognomentum. Nec enim unquam apud Ro. fuit in uſu. Quid igitur nugatur Sigonius? vel quis illius non perſpiciat inſcitiam? Nunc redeo ad rem. *Ablatione* itidem corrigi debet locus ille apud Ariſtotelem lib. 3 Rhetoricorum, ubi de carmine Hexametro, ſive Heroo, loquitur, & ait: τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμο-

ἁρμονίας δεόμενος. Obrepſit in contextum dictio οὐ, ſic, καὶ οὐ λεκτικός. Majoragius Mediolanenſis, in Comm. ſuis in oratorem Ciceronis, tollit οὐ, & λεκτικον, *electum*, ſive *ſelectum*, interpretatur; quaſi Herous pes ab Ariſtotele ſelectus dicatur. Ego tolli debere οὐ (nec enim eſt in antiquis libris, ut etiam Petrus Victorius vir doctiſſimus teſtatur) cenſeo. Nec tamen Majoragii interpretationem probo. Sicut etiam ad illum ſcripſi, quum adhuc viveret ante biennium. Nam quis eo modo protulit dictionem illam? λεκτικὰ ſolet vocare Ariſtoteles ea, quæ in communi & quotidiano ſermone proferuntur. Ut etiam in Poëtice, loco ſatis noto. Ubi de iambo loquitur. Debet igitur tolli οὐ, & ita intelligi locus Ariſtotelis, quomodo Cicero intellexiſſe videtur libro de Or. III. ubi ait: *Quare primùm nos ad Heroum, Dactyli, Anapæſti, & Spondei pedes invitant. In quo impune progredi licet duos duntaxat pedes, aut paullo plus; ne plane in verſum, aut ſimilitudinem verſuum, incidamus.* Sed quando jam hac de re inſtitui ſermonem, non alienum à re propoſitâ erit, ſi locum hunc totum, de quo ſæpe pollicitus vobis fui me dicturum, quid ſentiam, uberiùs expoſuero. Adverſari ſibi M. Cicero videtur, & aliter Ariſtotelis locum hunc intelligere in eo libro, qui inſcribitur Orator. Nam ait; *Ariſtoteli videtur ſecus. Qui judicat, Heroum numerum eſſe grandiorem, quàm deſideret ſoluta oratio.* Ego tamen exiſtimo, Ciceronem non loqui inter ſe pugnantia. Nam ita ſunt illius verba hæc accipienda, ut dicat, lib. de Or. III, Heroum pedem convenire ſolutæ orationi, & ad eum nos invitare Ariſtotelem; quòd grandem faciat orationem, modò ne ultra duos progrediamur. In libro autem, qui inſcribitur Orator, non de pede, ut illic, ſed de numero loquitur Heroo; & ait, grandiorem illum eſſe, quàm ſoluta deſideret oratio.

Differt

Differt autem pes à numero. Nam pedem vocamus metrum unum, partem ſcilicet numeri, ſeu ῥυθμοῦ, ut Græci vocant. Sicut etiam declaravit Ariſtoteles in libro de arte poeticâ. Numerum verò accipimus pro rhythmo, ſeu quodam compoſito ex multis pedibus, qui quales fuerint, talis etiam exiſtet numerus, ſive rhythmus. Hæc autem ita ſeſe habere, exemplis ex Cicerone prolatis comprobabimus. Eodem lib. 3. de Oratore, ubi de Heroo loquitur Cicero, ſic ait. *Sed ſunt inſignes percuſſiones eorum numerorum, & minuti pedes.* Idem ibidem: *Ad anapæſti & ſpondei pedem.* Et paullo póſt: *Hi tres heroi pedes.* Et paullo póſt: *Pòſt anapæſtus, procerior quidam numerus, effloruit. Inde ille licentior & divitior fluxit dithyrambus: cujus membra, & pedes*, & quæ ſequuntur. Et paullo póſt: *Numerus autem in continuatione nullus ineſt.* Vide reliqua. Plura annotari poſſent exempla; ſed hæc ſatis rem demonſtrant. Nunc explico Ariſtotelis locum. Verba Ariſtotelis libro 3 Rhet. hæc ſunt: ἡρῷος μὲν σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Quis non videt; per librariorum inſcitiam eſſe corruptam dictionem illam, καὶ ἁρμονίας? Non enim καὶ, ſed ἀλλ', eſt legendum. Et facilis fuit propter ſimilitudinem ſcriptionis lapſus, ἀλλ', & καὶ. Sic enim ſcribi ſolet, ut omnes norunt. Ut ſit ſententia Ariſtotelis hæc: Herous quidem numerus (nam de numero hoc loco loquitur) grandis eſt, & cadit in ſermonem noſtrum. Solet enim, ac poteſt facilè, proferri in ſermone quotidiano, ſi modò paullo grandior ſit. Verum harmoniâ, ſive concentu, eget. Id eſt; grandior eſt, & accommodatur ad res grandes, in quibus proferendis ſono opus eſt magno. Et ideo poëſis Epica ipſum arripuit, quia grandis eſt. At ſoluta oratio ſonum hunc, & harmoniam, non requirit: ideo ipſi non competit. Libro autem II. de Or. id ipſum ſentit.

Nam quatenus Ariſtoteles ipſum vocavit λεκτικὸν, ait Cicero, illum nos invitaſſe ad Heroum. Quatenus verò Ariſtoteles idem ait, ἀλλ᾽ ἁρμονίας δεόμενος, dixit Cicero, ut id exprimeret, non oportere nos ultra duos progredi pedes, ne incidamus in ſimilitudinem verſuum. Atque ſic, opinor, patet, Ciceronem inter ſe pugnantia non loqui. Non ſe aſtringit in vertendo verbis totidem Cicero, ſed ſententiam exprimere ſtudet, ut multis aliis in locis. Demetrius Phalereus (ſi modò illius liber eſt, qui circumfertur) Ariſtotelis locum hunc, ſicut alia multa, totidem pæne verbis protulit. Ait enim; ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ ὀυ λογικὸς, ἀλλ᾽ ἠχώδης. Nec perturbare ullum debet, quòd ait, οὐ λογικὸς, quum Ariſtoteles dixerit, καὶ λεκτικός. Nec enim ſibi adverſantur. Nam Demetrius inquit, οὐ λογικὸς, (quia in humili non apparet ſermone quotidiano. Fere enim ſemper humilis eſt is ſermo, quo inter nos utimur.) ἀλλ᾽ ἠχώδης, quia in grandem ſermonem tantùm cadit. Quod idem eſt ab Ariſtotele dictum, his verbis; καὶ λεκτικὸς, ἀλλ᾽ ἁρμονίας δεόμενος. Uterque igitur illum excludit à ſermone humili, & quotidiano. Non ἁπλῶς tamen (ut aiunt) à ſermone excludunt; quia cadit in grandem & ſonorum ſermonem, quem Ariſt. ἁρμονίας δεόμενον vocat, Demetrius verò ἠχώδη. Quamvis autem οὐ negationem apponat Demetrius ad dictionem λογικὸς, non tamen apponi debet apud Ariſtotelem ad dictionem λεκτικός. Nam ſententia utriuſque aperta eſt. Verba verò illa, quæ ſequuntur, οὐδ᾽ ἔνρυθμος, ἀλλ᾽ ἀνάρυθμος, ita in manuſcripto, & quidem perantiquo, qui eſt apud me, leguntur. Quemadmodum nobili ac docto juveni Franciſco Maſlovio, Polono, auditori meo, qui nuper Demetrii Phalerei librum in Latinum tam apte & eleganter vertit, ut nihil addi poſſit, ſæpiùs oſtendi. Nec aliter debere legi

puto.

puto. Nam ſæpe veteres Grammatici, & Muſici, has dictiones protulerunt, εὔρυθμον & ἐνρυθμικόν. Sic verò ait Demetrius: *Herous, non eſt* ἔνρυθμος. id eſt, non eſt intra rhythmum. *ſed eſt* ἀνάρυθμος. id eſt, ſupra rhythmum. quoniam excedit omnem rhythmum, ſive numerum, quiqui ſit in hominum ſermone. Quod etiam ipſe Demetrius, paullo pòſt, allato exemplo hujuſmodi confirmat: ἧκεν ἡμῶν εἰς τὴν χώραν. Ubi quatuor ſunt heroi pedes. Ac ſubdit hæc verba: ἡ γὰρ πυκνότης τῶν μακρῶν ὑπερπίπτει τοῦ λογικοῦ μέτρου. id eſt; *Frequentia & crebritas longarum ſyllabarum* (quæ ex Heroo proveniunt) *excedit & ſuperat metra*, ſive numerum ejus ſermonis, quo utimur. Ἀνὰ verò, pro ἄνω, interdùm in compoſitione habere vim τοῦ ὑπὲρ, ſatis eſt notum; & alii ante me adnotarunt. Hæc ego dixiſſe volui, ut ne vobis efflagitantibus ſatisfacere noluiſſe viderer. Ita tamen dicta accipiatis velim, ut, ſi quis probabiliora ac veriora attulerit, huic me ſtatim aſſenſurum ſciatis. Nec enim, ſi quando obſcura incurrunt loca, & perplexa, pugnax ullus eſſe debet in ſuâ ſententiâ, nec ægre ferre, ſi quis meliora in medium proferre ſtudeat. Habetis ſententiam meam. Nunc eam perpendite, & conferte cum aliorum ſententiâ, ut dijudicare poſſitis utra verior. Ego me victum non ægre feram: ſed lætabor, vix tandem aliquando locum tam obſcurum illuſtratum fuiſſe. Nunc redeo unde ſum digreſſus. Ablatione, de quâ loquebamur, in corrigendo caute eſt utendum. Ne nobis accidat, quod correctori Livii novo. Qui corrumpit verba Livii, ubi de anno, à Rege Numâ inſtituto, loquitur, lib. I. & putat, legendum: *Viceſimo quoque anno, non viceſimo quoque quarto anno. Nam* (inquit) *annus fuit inſtitutus lunaris*, non d. CCCLV, ſed CCCLIIII. Hoc adverſatur Macrobio, & Cenſorino; qui imparis numeri habitam rationem à Numâ docent in anno inſtituendo.

Tu igitur audes hoc tollere, o Sigoni? Ad *Ablationem*, & *Additionem*, ſpectat etiam ille locus apud Livium, ubi ſic legendum eſt, & interpungendum. *Dextrâ Hercules datâ, accipere ſe omen ait, impleturumque fata, arâ conditâ, atque dicatâ.* Novus hic Corrector Livii, ne corruptorem dicam, ita legit: *Dextrâ Herculi datâ, accipere ſe omen, impleturumque fata, arâ conditâ, atque dicatâ.* O hominem imperitum, qui non videt, quàm multa hinc maxime abſurda ſequantur, ſi ita legatur & interpungatur locus ille. Sed nos alibi de hac re copioſiús. ADDITIONE etiam particulæ *Non*, emendatur locus libro 3. apud Liv. pag. 36, ab eodem imperito correctore corruptus. *Ecce Hernici nunciant, Volſcos, & Aequos, etſi acciſæ res ſint, reficere exercitus. Antii ſummam rei poſitam. Ecetræ, Antiates palàm concilia facere. Id caput, eas vires, belli eſſe.* Nam eſt legendum: *Antii ſummam rei poſitam, non Ecetræ. Antiates palàm concilia facere. Id caput, eas vires, belli eſſe.* Ex quâ lectione pulcherrimus exiſtit ſenſus. Nam indigniſſimum videbatur, ſi Antii, quæ Colonia erat Romanorum antè deducta, ſumma belli eſſet poſita, non Ecetræ, ſicut antè, ubi hoſtes tantùm habitarant. Heic fit additio particulæ *Non*, & mutatur punctum.

Tranſpoſitione corriguntur loca interdum, ſed raró. In Poëtarum verò libris id perſpicue magis, ac facilè fit, propter pedes & numeros.

Extenſione. Ut apud Aſconium in 1. Ver. pag. 3. Ibi enim peccatum eſt à librario extenſione; quòd non intelligeret antiquam ſcribendi rationem. Nec miror, Manutium hunc locum, ſicut alia multa, non potuiſſe emendare. Non eſt enim inſtructus iis rebus, quibus inſtructum eſſe oportet veterum librorum correctorem: etſi aliter jactant ab eo operæ conductæ quædam, & empti laudatores.

Verba

Verba Aſconii, ubi loquitur de Syllabâ, hæc ſunt. *Spoliatus eſt Po. Romanus ab eo, judicandi jure, quod habuit per equites Romanos militaris.* Hic me locus diu torſit. Tandem emendavi: *per equites Romanos* IIIIL *annos.* Et verum id eſt. Sed de hac re poſtea copioſe in Annotationibus.

Contractione. Ut apud Aſconium eundem, ſub finem Divinationis. Sic enim legendum: P. LENTILUS *(avus hic eſt Lentuli Suræ pr.) librarius, non intelligens, P R. prætorem ſignificare, ſcripſerat, pater. Sic enim ſolet vulgo ſcribi, pr. & ſuſtulerat avus.* Manutius tantâ ſibi videtur eſſe auctoritate præditus, ut audeat Aſconium reprehendere; quaſi in re tantillâ, quæ omnibus eſt nota, errare potuerit vir doctiſſimus. Quod quum ego legi, riſum tenere non potui. Eſt enim habenda ratio ſummorum virorum, & antiquorum: nec temere reprehendi debent. Quod video, etiam ab illo fuiſſe ſæpe factum, in libro, quem nuper, compilatis Zaſii, Gruchii, & Balduini de eâdem re commentariis, edidit, De legibus Romanis. Nam Velleium, Plutarchum, Aſconium, & alios, temere carpit. Quod ego poſtea copioſe demonſtrabo. Heic locum apponam unum in præſentiâ; ut ejus temeritas & inſcitia in ſcribendo cognoſci poſſit. De legibus illis, quæ ad judicia ſpectant, ubi loquitur, ait, Plutarchum negligentem ſibi videri, quòd de lege a C. Graccho latâ nihil dixerit, quum tamen alias omnes expoſuerit, quas idem tulit. Certe Manutius antiquos auctores non legit, nec evolvit diligenter: ſed, opinor, ſæpe ad indices recurrit: in quibus ſi quid non invænit, ſtatim ait, non eſſe. Nam, ſi ordine legeret libros, nihil illum ſubterfugeret. Inſignis eſt locus ille apud Plutarchum, ſi quis alius, ubi legem latam à Caio Graccho narrat, nequis indictâ cauſâ Civem Ro. perimeret, aut

damnaret : atque adeò illuſtris, ut ne dormitantem quidem lectorem ſubterfugere poſſit. Verba ſunt hæc : Δύο νόμους εἰσέφερε. τὸν μὲν, εἴ τινος ἄρχοντος ἀφῄρηται τὴν ἀρχὴν ὁ δῆμος, οὐκ ἐῶντα τούτῳ δευτέρας ἀρχῆς μετουσίαν εἶναι. τὸν δὲ, εἴ τις ἄρχων ἄκριτον ἐκκεκηρύχοι πολίτην, κατὰ τοῦτον κρίσιν διδόντα τῷ δήμῳ. Sed redeo ad rem. Locum hunc Aſconii, ubi de Surâ pr. fit mentio, ita à me correctum, quum eſſet prætermiſſus ab aliis, imò reprehenſus, & notatus, omnes ſciunt; nec eſt, quòd clàm quidam ſibi vendicare ſtudeat : verùm quis hic ſit, & quomodo res tota ſeſe habeat, poſtea declarabo. *Contractione* (de hac enim poſtulat ordo ut dicamus) corruptus olim à librariis, ut multis video placere doctis viris, graviſſimos auctores in errorum impulit locus apud Homerum; ubi ait, εἰν ἀρίμῃ, vel ἀρίμοις. Quum enim ita ſcribi debuiſſet : εἰναρίμῃ conjunctim ſcripſit librarius. Ita factum eſt, ut uſque ad Virgilium perſtiterit error inveteratus. Nam non quidem *Arimen*, ſed *Inarimen*, omnes inſulam hanc vocarunt. Quod velim obſervent ii, qui tam temere antiquos carpunt, præſertim graves, & illuſtres auctores. Vergilium ſecuti Ovidius, & alii omnes, *Inarimen* eodem modo protulerunt; malueruntque cum eo, & aliis, qui ante illùm ita ſcripſerant, errare, quàm emendatam rationem ſequi. Virgil. lib. 9. ait :

Inarime Jovis imperiis impoſta Typhæo.

Plura qui vult ſcire, legat Erythræi annotationes in Verg. Ubi copioſe de dictione hac diſſerit, veterumque loca perpendit omnia. Plane enim ſatis conſtat, duas eſſe dictiones apud Homerum.

Diſtinctione. Ut lib. 3. de legibus, apud Cic. ubi de ſepulchris loquitur. *Aſtim cum auro ſepelito.* Nam diſtinctione factâ *Aſt im*, eſt legendum. pro, *Aſt eum.*

eum. im enim, pro *eum*, antiquos dixiſſe, ſcribit etiam Sex. Pomp. Sed Manutius, in ſuis illis præclaris annotationibus, emendat, *In Aſtico.* Et Aſticum ait locum fuiſſe Athenis. Verba ipſius ſunt hæc: *Aſticus autem locus erat Athenis, ubi liberi homines ſepeliebantur, quum alibi mercedem pro ſepulchro penderent.* Verùm dicat, ſi poteſt, ubi eſt iſtud Aſticum, aut quale, aut quis meminit? Sed *Aſt im* legi debere, non *Aſticum*, eo loco, adnotarunt etiam alii ante me. *Diſtinctione* item. Ut in illâ noſtrâ animadverſione in Aeſchylum; βουθύ'τοις ἐνήμασι. pro, ἐν ἤμασι. Coaluerant enim dictiones duæ; & fuerunt diſtinguendæ. Itèm apud Aſconium, pag. 17. nu. 70. *Unde, quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro eo cenſu privato; ærarium dicitur pro loculis; & arca, theſauri; pro ſacello, fiſcus.* Locus ita debet diſtingui. *Unde, quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, & Populi Romani cenſus privato; ærarium dicitur pro loculis; pro arcâ, theſauri; pro ſacello, fiſcus.*

Copulatione. Ut apud Aeſchylum: σίλας φόρων, quum legeretur, σιλασφόρων ego copulando ſcripſi. Eodem modo corrigi debet apud Aſconium locus in Verrem, pag. 16. nu. 69. in Aldinis. Quem Paullus Manutius ſuâ inſcitiâ, ſicut alia multa, corrupit. *Neceſſe fuerat, eos primùm de curiâ ſenatoriâ deſcribi.* Debet autem legi: *ex decuriâ ſenatoriâ.* Legebantur enim, ſive ſorte ducebantur, judices ex decuriis. Et una harum erat Senatoria. ut nos alibi copioſe oſtendimus, ubi de judiciis Rom. locuti ſumus, & numero decuriarum.

Mutatione. nempe literæ unius, vel plurium. Apud Aeſchylum, nu. 12, in Agamemnone, ſcriptio vetuſta eſt. τίτρεγινε μῦθον. pro, μίτρεγινε μῦθον. Itidem

in oratione Cic. V. in Verr. *Unus inventus eſt Verres, tot annis, atque adeo ſeculis, qui hac non commutaret, ſed everteret.* Nam mutatione unius literæ factâ, everreret, *eſt legendum.* Et paullo pòſt, non *converteret*, ſed *converreret.* Et in eâdem oratione, ubi ſunt hæc verba: *Quum ad eum Nymphodorus vaniſſet Aetnam.* Nam legendum, *Ennam.* Eſt enim Enna in mediterraneo Siciliæ urbs. Aetna, mons in orâ maris. Itidem MUTATIONE literæ. Ut apud Liv. lib. I. Ubi de conſualibus loquitur: *Solenne notum erat.* Sigonius, non intellegens locum hunc, literam mutat, & legit, *Solenne votum.* Ignorat ſcilicet, *Solenne* aliquando ut ſubſtantivum poni. Nam alibi etiam Livius, libro 5 ab V. C. *Et Pontifices, flamineſque, negligentiores publicarum religionum eſſe, quàm privatis in ſolenni gentis fuerit.* Itidem lib. eodem: *Inventumque tandem eſt, ubi neglectas ceremonias, intermiſſum ſolenne, Dii arguerent.* Et in procemio: *bello potitus.* Nam legendum, *petitus.* Etiem MUTATIONE literarum illud apud Livium, lib. I, in verbis Horatii: *Sic eat quacunque Romana lugebit hoſtem.* Emendant iſti, *quacunque Romanum lugebit hoſtem.* Nec ſentiunt, tolli omnem vim ex eo dicto. Et ibidem, ubi de Suffetii morte loquitur: *Immemor legum Romanarum.* Emendant iſti novi correctores, *humanarum.* (etſi omnes ita habent impreſſi, etiam Melchioris Seſſæ.) & afferunt locum Varronis ex Nonio: *Metium Suffetium propter perfidiam interfecit plane imperioſiùs, quàm humaniùs.* Quum ſit ibi legendum, *immaniùs.* Sic autem etiam Cicero in eam ſententiam in Catil. ait: *Si te comprehendi juſſero, Catilina, ſeu interfici; credo, erit verendum mihi, ne non potiùs omnes boni ſeriùs, quàm quiſquam crudeliùs, factum putet.* Et ita locum totidem verbis recitat Quintilianus, lib. 9. Sed ita loquitur & A. Gel. lib. 20. cap. I. Ubi de ſectione addicto-

rum

rum loquitur. *Nihil profectò immitius, nihil immanius, niſi, ut re ipſâ apparet, eo conſilio tanta immanitas pœna denunciata eſt, ne ad eam unquam deveniretur.*

In primis verò in emendatore librorum requiritur FIDES, ut ne fucum faciat ullum, ut ne lectori imponat. Si dixerit, ſe in manuſcriptis libris invæniſſe, quod ipſe excogitarit, poſſit fortaſſe decipere imperitos: at peritis, neceſſe eſt, ut ſe deridendum præbeat. Quanta fides, Dii immortales, in Politiano? Cuivis intueri licet adhuc Florentiæ, in Mediceâ & Marcianâ bibliothecâ manuſcriptos libros, ubi publice aſſervantur, quibus uſus eſt. Eadem fides in ſanctiſſimo illo ac doctiſſimo ſene, qui Vergilium ex Romano codice emendavit, Jo. Pierio Valeriano, viro digniſſimo qui ab omnibus ametur & colatur. Nec ſecus egit Petrus Victorius meus. Qui ex hac emendandi profeſſione non tam doctrinæ magnæ, quàm magnæ bonitatis & fidei laudem quæſivit. Quibus ſit uſus libris: ubi ſint: Langobardiciſne ſcripti, an Romanis literis: ſemper patefacit. Sed vir bonus (nam licet Platonis illud dictum proferam) canibus oſſa oſtendit. Non poſſum non ingemiſcere ob communem jacturam. Nam: ſed mihi temperabo. Eandem fidem agnoſcas in Hieronymo Ferrario; qui Philippicas orationes Cic. expurgavit. Nec diſſimili ratione uſus eſt beatus Rhenanus, vir doctiſſimus. Qui in eluendis maculis, ex Tacito, ex Velleio, & ex aliis tam multis, præclaram omnibus bonis navavit operam. Itidem & Glareanus, & Camerarius, omneſque alii, qui librorum autoritate manuſcriptorum nituntur. Nunc extiterunt, (ſi diis placet,) qui excitant ab inferis Anacreontas, Halicarnaſſeos. Brevi etiam revixiſſe audietis Sappho illam, & Menandrum: ne dubitate. Extiterunt, inquam, qui manuſcriptos libros citant, nec tamen proferunt,

qui ſint, ubi ſint, cujus notæ ſint. Ecquis ſcit, an ſomnia illa ſint, an quiſquiliæ, meræque nugæ? Quæ tandem igitur his eſt habenda fides? Ego, ut de me aliquid dicam, quum Aeſchylum adeò corruptum ſuperioribus annis emendavi: quum Dionyſium Longinum περὶ ὕψους, & Aelianum de exercitu inſtruendo more Græcorum, edidi, & in Latinum verti; quum librum Ariſtotelis de arte Poëticâ expurgavi, & illuſtravi: nonne protuli ſemper nomina illorum à quibus libros accepi, & bibliothecas nominavi, ubi aſſervantur? Quare non ſine riſu miratus ſum ſuperioribus annis Vinçentium Madium, Brixianum Philoſophum, in ſuis annotationibus in Poëticam Ariſt. dicere auſum, ſecus legi in Mediceo lib. Florentiæ, ac ego teſtatus fueram. Verba illa, quæ ſunt pag. 1, οἱ μὲν χρώμασι καὶ σχήμασιν, ἕτεροι δ' διὰ φωνῆς, ego, in Mediceo libro ita legi, dixi. Madius, Simonis Portii teſtimonio utens, ait, in eodem libro, quo ego ſum uſus, legi τῇ φωνῇ. Id ſi verum eſſet, non laboraremus: & ego, opinor, vidiſſem, qui libros eos, quum in Hetruriâ eſſem tunc, & operam navarem in Academiâ Piſanâ potentiſſimo & optimo Duci Florentiæ Coſino, ſæpe inſpectavi, & evolvi. Sed aliter ſeſe res habet: nec Portius, Philoſophus ſummus, & optimus vir, unquam ad illum ſcripſit. Nam quum ego per literas eſſem cum eo conqueſtus; ſcripſit ad me, ſe nihil tale unquam dixiſſe, aut ſcripſiſſe. Præterea Henricus Matheſius, medicus, vir doctiſſimus, Portii familiaris, ſuis literis poſtea idem mihi ſignificavit. Quare non eſt, quòd miretur Madius, ſi ego illius obtrectatione ne tantillum quidem moveor. Videat ipſe, ſi in meis commentariis, qui ſuperiore anno iterum Baſileæ impreſſi fuerunt, aliquid immutavi, quod jure ab eo fuerit reprehenſum. Et ſubodoretur diligentiùs, quid docti viri de ſuis annotationibus,

& com-

& commentariis meis, ſentiant, quidque judicent de totâ re. Nam & totidem verbis deſcripſit quamplurima de meo commentario; & veterum loca eadem recitavit, quæ ego protuleram. Illi autem venire in mentem ne auctorum quidem ipſorum nomina potuiſſent, quos nunquam legit, nec attigit; quum vix literis Græcis ſit tinctus, nec eam notionem rerum unquam parare ſibi ſtuduerit, in quâ ego omnem ætatem conſumpſi.

Sed redeo ad rem. Ita ſane decet, auditores: & caſtigandi ſunt jure merito, qui emendando fucum faciunt. Verſus eſt apud Terentium: *Benignitatem nunc ubi meam ſenſiſti in te claudier*, ibi, non *claudier*, ſed *calvier*, legi, quidam Terentii novus emendator affirmat, in codice Romano. hæc ſibi Manutium retuliſſe; qui id accepiſſet ex Faërno. Id falſiſſimum eſt, nec vera referunt: nec Faërnus id, opinor, dixit. Scilicet Bembus antè dictionem tam inſignem non vidiſſet. Sed, credo, ipſos obaudire ſolitos, vel obliviſci potiùs eorum quæ ex viris doctis interdum audiunt. Nam de verbo *calvier* multa diſſerit Nonius Marcellus, & exempla plura affert. Ac fortaſſe per conjecturam Faërnus dixit, ita poſſe legi in Terentio. Sed codex Romanus id non habet; ut multi nuper ad me ſcripſerunt. Quid autem ſentiam de totâ hac re, dicam in Annotationibus poſtea. Nam *claudier* omnino legendum eſt, Et, ita Ciceronem ipſum locutum, demonſtrabo.

Carmina Encomiaſtica ad Scioppium.

GASPARI SCIOPPIO SUO

CHRISTOPHORUS PFLUGIUS S.

Stylo de induſtriâ Antiquario.

EST miſerum teneras diffundi corpora in auras
Cùm ad primum repetunt corpóra prima locum.
At mage quod miſerum eſt, perit ingens ingenii vis,
Quo Superi majus non dederunt aliud
Humanis miſeris. carum non corpore contra,
Non auro, non quas India dives opum
Emittit gemmas. merito hoc; nam particulam auræ
DI æterna noſtris indiderunt animis.
Hoc nos; hanc miſeri quondam penſare ſuëmus
Jacturam, egelido corpore quam facimus.
Nequicquam; quod contrà inventum eſt, non minus hilo,
Ingenii ſolvat quæ bona, peſtilitas.
Hæc eſt, proh generis pudor atque infamia noſtri,
In ſeris ſumma incuria poſtgenitis,
Maiorum quâ nos præclara & dia reperta
Involvi denſis perpetimur tenebris.
Nugas verum has, præquam alias, ſit dixe cruces, quæ

Dicta

Dicta venuſta patrum multimodis miſere
Diſtulerunt, ut ſi olim amittat eos Pater Orcus,
Non ipſi ſe ipſos, non ſua noſſe queant:
Ut ſunt cum tineis blatta, queîs ritè paraſſis
Grammaticûm aſperum, acerbum, inſubidumque pecus.
Ollis impia ſuccedanea dextra librarI eſt,
Ollis & Criticorum inlepidum omne genus.
Ergo Phœbaus flet, deflet maximus orbis,
Obruta nunc altis quòd jaceant tenebris
Tot monumenta virorum; & quis non aurea dicta
Noſcere ſe ex ſummus diſcupiat opibus?
Queîs cives artem docuiſti, Marce, beate
Vivendi, morum doctus ut eloquii?
Nec Muſéa malum evaluit defendere ſanctum
Ennipatri circans laurea ſerta caput.
Quid jam Varronis, quid Plauti; & iniqua PacuvI
Fata feram? quid ſortem Helladis aut Latii?
Illene ego ut valeam triſti detexere verſu,
Quodque recordanti dividiæ & ſenio eſt?
Ferreus hæc memoret, cui duro robore pectus.
De me; nolo oculis cudere acerba meis.
Sed mihi, ſed ſceleris documentum unum hiſcere fas ſit,
Quêis olim exemplis Symmachus interiit.
Omnimodis, ut dixi, etiam huic ſua denique priva
Crux fuit, & noctu immerſit avara manus,
Sic habuitque virum, ut penitus quam condidit ollam
Euclio, diffidens quâ ſibi, quâ ſuperis.
At quod dI voluere boni, cuſtode remoto
Se emerſit repetens pulchrior ora virûm
Auſpicio SciopPI, quo nullus fervidiore
Uſque ſolo Criticum preſſit adæque ſolum.
Hercules hic alter nobis, Epidaurius alter;
Defendit morſus, vulnera; monſtra domat.
Aureolas teſtor Similes *quas Indice* Veri-
Proſcripſit chartas; abſque foret titulo,
Cætera ſic veras, Phœbeâ ut Pythia menſâ

Olim

Olim teſtari non mage vera queat.
Dicere me verum,dicit PIA *Muſa* PROPERTI,
Affirmant & idem Muſæ aliæ atque aliæ.
Nec SUSPECTA *etiam multeſima* LECTIO *quicquam*
Judice me diverſum edocuiſſe queat:
Queis Plautina tibi ſemper Proſcenia debent
Summo devincti, Scioppiade, officio:
Queis & Apuleii quondam haut niſi rudere doctus
Rudere jam tamdem dememinit aſinus.
Ergò tibi lucem repetunt, quòd priſca virorum
Nomina, riſu omnes, letitiæque, litant.
Et te cum precibus quæſunt, poſt fata ſuperſtes
Si cupis eſſe diu, ſuppetias venias
Subſiſtaſque ſibi; ſic, SCIOPPI, *te averruncum*
Grammatici, & timidè ſic timeant tineæ.

AD EUMDEM.

SIcne tui radios, Scioppi, diffundis amoris,
Non ſolùm ut ſatagas urere corda virûm,
Qui lateri juncti paſcunt te lumina: verùm
Non unquam notos ad juga amoris agas?
At non es niveo prognatus Adonide pullus,
Qui Medi imperii ſceptra ſuperba tulit.
Fervidus inviſam priùs hic ardebat Odatim,
Anteibat Marathas illa decore nurus.
Sic quoque ſub gelido me tu poſitum axe Trionum,
Tale nihil ſperantem, ardido amore præis.
Et mihi ſubmittis præclaræ pignora mentis,
Non dubiæ haut dubium pignus Amicitiæ.
Accipio gratus, tantum & tibi grator honorem,
Quòd Critici pars non ima Senati oreris.
Exorere ad floris non inſtar fluxa comantis,
Ingeniique tui ſpargere perge roſas.

Solomo Rysinius, *Illuſtriſſimi Principis* Christophori Radivili, *Ducis in Birze & Dubinki &c. Filio à ſtudiis* Vilnæ.

AD EUMDEM.

QUæris ubi lateam, Sciopp doctiſſime, & an te
Fortunæ nolim læta docere meæ,
Sive ea acerba ſient. Ergò, inquis, verba fuerunt,
Inque animo inque oculis his, Dum ero, tu quoque eris?
Sed, quæ me inceſſat tabulis inarare lubido
Sortis verba mea, ſive ea læta ſient?
Verborum nempe illa etiam circumdata vallo
Officii in partem poſſe venire putem?
Crediderim; factum verbis præſtare receptum
Si ſatis eſt: at ſic quis ſatis accipiet?
Quippe fidem factis probitas metitur, & aulæ
Largiloqui caſſas imputat oris opes.
Sive ea grata tamen, ſeu ſint ingrata futura,
Verba mera, atque meras nunc tibi mitto preces.
Quîs quia pondus abeſt, pondus tu commoda, & inſtar
Repræſentatæ hæc accipias fidei.
Namque per iratas licuiſſet, crede, Camœnas,
In dignum æternis fingere quid tenebris.
Non equidem in dubium mea nunc promiſſa vocares,
Meque datam occineres deſeruiſſe fidem.
Sed non tam mihi iniquus eris; Nam, copia ſi ſit,
Tum (nil fingo) fidem fallere, crimen habet.
At mihi (tange ſacras aras) potuiſſe negatum eſt
Hactenus; & pacem, quîs modo ſuppliciis
Fas erit, exambire Deæ non deſinam, in ære,
Liber & à nexu; deſinam ut eſſe, tuo.
Ergò tui notis animum ſupereſſe tenacem
Nuncio, vel, ſi addi fors etiam illud amas,
Ingenuas vires: hoc te orans unicum & unum,
Hanc fraudi eſſe mihi ne patiare moram.
Non tibi enim cautum poſthac ſatis ibo, datumve;
Sed præſente adigam re, ſatis accipere.

MELIOR ROCHIUS, Fr.

AD

AD EUMDEM.

TUne ſenis tetrici & cuivis maledicere nati
Incontinentem & efferam,
Scioppi Romanæ vindex non ultime Suadæ,
Linguam morêris? Hercle nil
(Crebriùs effundat dirum licet ore venenum)
Tibi nocebit, candido
Solertique colis veteres qui pectore Muſas,
Priſcamque juvenis Palladem.
Illius eſt notus pridem furor omnibus, & mens
Veſana, mobilis, vaga.
Fallor? an invidiâ totus diſrumpitur acri,
Solumque ſe doctum putat?
Se ſolum putat eſſe virum? Me judice, nec vir
Nec doctus iſte, qui ſuum
Os frænare nequit, neſcit compeſcere linguam
Ultra vagantem limites.
At tibi quî parcat monſtrum implacabile, Scioppi,
Quod dente quondam livido
Romani petiit Regis venerabile numen,
Et gentis Auguſtæ decus?
Oblatret, rictuque feros hinc inde minetur
Morſus, & atra vulnera:
Se ipſum conficiet, rabie ſe perdet inani:
Hæc invidorum præmia.
At tua te virtus, Scioppi, ſuper æthera tollet.
Tuo corollam vertici
Magnis promeritis Phœbæâ texet in umbrâ
(Confide) longa æternitas.

Hieronymus Arconatus, Sacræ Cæſar. Majeſtati à ſecretis bellicis.

AD EUMDEM.

DE SUSPECTIS EJUS Lectionibus.

SUſpicione mera quemquam damnarier olim,
Adſidio ſcripſit Optimus ipſe, nefas.
Tu tamen en facis hoc, Scioppi, indulgeſque tibi iſtud,
Ut ſuſpecta modò, quæ tibi falſa, voces.
Tuque dicam falſi ſcriptori impingis inepto,
Tuque reas aures falſa probantis agis.
Motum animi facilè res parva inclinat acuto:
Scioppiadæ ingenium ceu capitale viget.
Quantum aliis præſtet vix plena probatio, tute
Perſpicis admonitus ſuſpicione levi.

MARQUARDUS FREHERUS,
Juriſconſ.

GAS-

GASPARIS SCIOPPII, FRANCI,

MELOS.

AD

Vir. Clariſſim.

PAULUM MERULAM,
Juriſconſultum, Hiſtoriarum Profeſſorem, in celeberrimâ Academiâ Leidanâ.

Super acerbo & præmaturo in Veronâ obitu,

NOBILIS ET ERUDITI JANI Douzæ, modulatum.

GASPAR SCIOPPIUS Paullo Merulæ. S.D.

SEriùs forte opinione tuâ ad te ſcribo, vir doctiſſime: atqui id nullâ meâ culpâ. Nam & tuæ mihi ſeriùs locoque alieno plane redditæ fuerunt; & ego quoque, qui me vobis à mercatu Francfortino adfuturum ſperabam, ſcriptionem tantiſper differre volui. Nunc cùm ſpes illa mea hoc quidem tempore decollarit & fruſtra me habuerit, mitto tamen aliquid verſuum; quibus ſi, quod petis, non impetratum tibi reddidi, cauſſam tamen, cur hoc officium beatis Douzæ manibus denegarint, cujus cauſſâ vel publico nomine, quòd optime, ſi quiſquam, de literis noſtris meritus; vel meo privatim, quòd me inviſum tamen amare voluit, meritò nihil non velle debebam, declarare tibi volui. Ut autem & ad cetera literarum tuarum capita nonnihil reſpondeam, non velim te ignorare, gratiſſimam mihi fuiſſe veſtram, Scaligeri inquam, Junii, Vulcanii, aliorumque Critico Senatui adſcriptorum, & tuam denique tam honorificam de Veriſimilibus noſtris cenſionem: ut quâ nihil ad eludendas Zoilorum meorum, quos adoleſcentia mea non paucos reperit, calumnias commodius mihi ſuppeditari potuerit. Symmachi editionem premo, ut veſtris demum ſymbolis, ſi, quod voveo, ad vos venero, emendatior & nitidior exeat. Quam ad rem velim mihi impetretis exemplar, quod cum vetuſtiſſimo conlatum Codice penes Joannem à Wouweren patricium Hamburgenſem exſtare ſcribis, parato quidvis aliud eo nomine vobis præſtare. Vehementer gaudeo, rumores de obitu illius juvenis ingenioſiſſimi falſos nos habuiſſe. Qui ut cum ſuo & publico bono

quam diutiſſime vivat, cotidie precamur. Geographicis tabulis, aliiſque operibus tuis hiſtoricis, animitus nos favere ſcias: quæ ut adjuvarem, ſategi, nec quicquam tamen reperire etiam potui, niſi quod indicavit mihi Ampliſſimus Marcus Velſerus reipub. Auguſtanæ Septemvir, veterem à ſe tabulam ex bibliothecâ Peutingerorum, cujus partem ipſe priùs cum Commentariis publicavit, ad Abrah. Ortelium amicum noſtrum eſſe tranſmiſſam: eamque ſat ſcio Ortelius operibus tuis nunquam invidebit. Vale, amice doctiſſime, & ſalve. Ex Schuandiano noſtro, ipſis Kalend. Octobr. Anno XCVII.

Quid

Quid luctuoſis, MERULA, *literis*
Sic me inquietas, ut male ſaucio
Mihi dolorum priſtinorum
Vim gemiti cieas recentis?
VERONAM *ocellum namque ego dum Itali*
Siduſque cœli luminibus nimis
Uſurpo mœrens curioſis,
SCALIGERÆ *& monumenta gentis*
Noſtro hoſpitali proxima domati,
Ipſum reſiſtens ad ſtabuli oſtium,
Voltu intuor ſeveriore, &
Marmorea hac ſtupeo ſepulchra:
Heic ille tota Italia tremor,
Celſus videri, marmoreo ſedet
MASTINUS *armatus caballo,*
Atque viri haud ſimulata virtus,
Et quondam in hoſtes vividus impetus
Ex dædalâ iſtâ ſpirat imagine:
CANI*sque robur* MAGNI, *& illa*
Nota ſago bene militari,
Togæque virtus tempore, qua nihil
Claravit æque Scaligeros, mea
Se clanculum menti penêtrat,
Dum lapides lapidumque cerno
Inſcriptiones, & tuor indices
Ejuſce dicant quid ſub imagine,
MAGNUM *profeſſos proxime ſe*
SCALIGERUM *eſſe* CANEM *ſepultum.*
Dolorque mentem non cruciat levis
Recogitantem ſic quoque maximum
Prius JOSEPHUM, *ut ipſe jam nunc,*
Iſſe ſuam peregrinum in urbem.
Ergò ille (mecum ſic ego mœſtiter)
Quam jure Princeps non niſi cum optimo
Urbem teneret, vidit hoſpes,
Vixque VALE *licuitque* SALVE

Nepoti avorum dicere manibus?
Ex his iiſdem forſitan ædibus
Cubiculoqae hoc unde poſſum
Marmora Scaligerûm intueri.
Sceptra ille avita ut perdiderit, ſua
Sedemque gentis nunc videat feros
Tenere prædones, diuque
Ludibrium inſtabilis vocetur
Fortunæ: at ipſe, & quiſque bonus tamen,
Doctuſque, REGEM, *non modò Principem,*
Hunc eruditiorum adorem,
Poplitibus venererque flexis:
Et parte nunquam reputem in ultimâ
Felicitatis, ſi mihi, quod diu
Inconcupivi, heroïs hujus
Copia colloquii ſequatur.
Sic ergò mecum dum illa recogito,
Magnâque mentem ſollicitudine
Tangor, tua mœſtum tabella
Deſubitò, Merula, attigêre; &
Tantam repente mi dynamin mali
Mœroris illa mœſticiæ inſuper
Tulere montem, quoi ipſus ægre
Sat videar fore ſufferendo.
Nam, DI Deæque! eccui leve quiverit
Damnum videri, quod tua nunciat
Pullata charta? jam minorem
Plurium iter abiiſſe DOUZAM:
DOUZAM, *virorum nobilium decus*
Terræque ocellum (nec neget invidus
Quiſquam) Batâvæ. Jure cujus
Omnibus eſt obitus dolendus.
Quot literatis ille laboribus
Exinde juvit ſæpiùs, ut ſua
Primùm theatro vela Plauti
(Deſitum opus) caveâ reduxit

Plau-

Plaudente totâ pæne etiam puer,
Vitaque luſtrum qui modò tertium
Et unicum feciſſet annum;
Pluria poſteriùs daturus
Antiquiorum poſtuma opuſcula
Suum in nitorem priſtinum: Ut omnibus,
Datam Catullo, Umbro promiſſam
Calimachoque operam, & Tibullo,
Probarit, haud eſt paullo uti neſciant
Humaniores; ut neque Lipſii,
Qui maxime, aut divi refutent
Scaligeri ſuper hocce ſenſum.
DOUZÆ *illa queis quo carior indoles,*
Nutrita magnis in penetralibus,
Hoc univerſis longiorem
Morte obitâ dedit uſque luctum.
Et nos minorum, Merula, gentium,
Atque hordearI nil niſi Critici,
Ubi ire Semones videmus
Hos itiner tenebroſum, eò undè
Redire quemquam in luminis abnuit
Catullus oras, quînam age præterhac
Idem ſtudI nos literati
Hoc ſtadium potiùs teramus,
Quàm ſcriptionis pæne libidinem a-
mittamus omnem? Nec Batavæ fuit
Ut principi velles juventæ
DOUZIADÆ *officium exhiberi*
Idem, quod à me Manibus eſt priùs
(Ut fas putabam) factum ACIDALII,
Quum funus infelicis auſus
Aeolio celebrare plectro.
Numquam hercle noſtri Douza erit indigus
Encomii, nec non erit invidas
Defendere illi obliviones,
Scioppiada ut lyra conticeſcat.

An

An qui poëtas tot vetuit mori
Antiquiores, poſſe putabimus
Mori? huncque carmina alterius
Eripient male nata leto?

FINIS.

L: 23.

N01 1466707

B